

880.5
M954

A 469533

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

UNIV. OF MICH.

NOV 19 1908

880.5
119

QUAESTIONUM XENOPHONTEARUM CAPITA DUO

DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
HALENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

RUDOLPHUS MUELLER
SCHONINGENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCVII

Gift of
Univ. Halle
www.halbe.com.cn
Nov. 17 1908

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHURUM ORDINEM RETTULIT
GEORGIUS WISSOWA

www.libtool.com.cn

**PARENTIBUS CARISSIMIS
SACRUM**

187254

www.libtool.com.cn

Caput prius.

Anno 1827 B. G. Niebuhrius commentatione¹⁾, quae inscribitur „Über Xenophons Hellenica“, ostendere studuit illum librum, qualem nunc habemus, ex duobus prorsus diversis operibus constare, quae non scriptoris ratione, sed mero casu in unum coniuncta essent. Quam rem ut demonstraret, duo genera argumentorum attulit, quae cum ad speciem exteriorem, tum ad intimam naturam Historiae Graecae pertinent. Sic ostendit Xenophontem in prioribus duobus libris more Thucydideo annos, quibus singulae res gestae essent, denotavisse, quin etiam, ut ferret ratio Thucydidis, in temporibus definiendis ad res Syracusanorum spectavisse, id quod inde a libro tertio non iam usu veniret. Deinde ostendit locum Historiae Graecae VI 4, 37, ubi Xenophon de Pherarum tyrannis loquitur, ante Olympiadem centesimam sextam scribi non potuisse, cui temporis locus II 4, 43 acerrime repugnaret, quod Xenophon neutiquam illo tempore verba *ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὄμοις ἐμμένει ὁ δῆμος* scribere potuisset. Gravissimum autem argumentum, quo Historiae Graecae duos priores libros proprium opus diversumque esse ab insequentibus libris ostendatur, ex eo sumit, quod in prioribus libris appareat Xenophontem aequo et iusto animo de civibus suis iudicare . . . „hingegen in den fünf letzten begegnet allenthalben die hassenswürdige Tücke des Renegaten der in seiner ärgerlichen Vergötterung des spartanischen Mumienwesens ergraut und seiner Mutterstadt nur dann nicht feindselig ist, wenn sie sich für Sparta hingibt . . .“

¹⁾ In Mus. Rhen. a. 1827. Vol. I fasc. III p. 196 sqq. repetita in Niebuhrii opusc. hist. et phil. T. I (Bonnae 1828) p. 464 sqq.

Qua vituperatione Xenophontis, quasi esset vir civisque pessimus, animi grammaticorum adeo commoti sunt, ut statim complures viri docti vehementissime obloquerentur. Qua in re eorum pluris intererat honorem Xenophontis restituere quam eam quaestionem, quam ille incohaverat, diiudicare. Imprimis F. Delbrueckii liber, qui inscribitur „Xenophon. Zur Rettung seiner durch B. G. Niebuhr gefährdeten Ehre“ mihi nominandus est.¹⁾ Animis paulatim sedatis viri docti ei quaestioni, quam Niebuhrius protulerat, scilicet Xenophontis Historiam Graecam duo opera inter se diversa continere, operam navare coeperunt. Ex hoc tempore plurimi libri plurimaeque commentationes virorum doctorum exorta sunt, quae illam quaestionem solvere ac diiudicare studebant. Longum est omnium virorum doctorum scripta hoc loco tractare sententiasque eorum recensere: satis habeo de iis libris paulo uberius dicere, quibus illa quaestio amplius propecta esse mihi videatur.

K. W. Kruegerus, ut ab hoc exordiar, commentatione, quae inscribitur „Prüfung der Niebuhrschen Ansicht über Xenophons Hellenica“²⁾ p. 244—264, sententiam Niebuhrii refellere studet. Non verum esse in duobus prioribus libris studium Atheniensium inesse, insequentes libros animo in Athenienses iniquo conscriptos esse; ne id quidem concedit Xenophontem more Thucydidis in duobus prioribus libris res Syracusanorum respexisse, in sequentibus id non fecisse, cum etiam in altera parte Historiae Graecae loci inveniantur, qui ad res Syracusanorum spectent. Quod Niebuhrius dicat inde a libro tertio omnes res a Xenophonte narratas unum ad Agesilaum spectare, id falsum esse. Deinde initium libri tertii cum fine libri secundi artissime cohaerere, verba in fine libri secundi posita: *ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὄρεσι ἐμμένει ὁ δῆμος*

¹⁾ Bonnae 1829.

²⁾ Hist.-philol. Studien, Vol. I. Berol. 1836.

optime viginti et quod excedit annis post rem ipsam scribi potuisse; Xenophontem in Historia Graeca componenda longissimum tempus versatum esse; facillime accidere potuisse, ut cum ad expeditionem a Cyro factam in narrando venisset, commoveretur, ut res gestas fortunamque decem milium conscriberet. Quod opus facile Cyri Institutionem sequi potuisse, cum in illo conscribendo Xenophon eo adductus esset, ut Cyrum optimum et fortissimum virum esse et in eo omnes principis virtutes inesse persuasum haberet.

Deinde F. Delbrueckius in libro, quem supra commemoravi, negat Xenophontem senem materiam rerum gestarum conscribendarum collegisse aut senem res gestas ex materia antea collecta composuisse. Ab altera autem parte cavendum esse, ne credamus Xenophontem modo ex Asia reversum librum scripsisse. Verisimile esse eum Expeditione Cyri confecta ab anno vicesimo primo belli Peloponnesiaci res gestas uno tenore ad suum tempus descripsisse, deinde in conscribendo res gestas, sicut evenissent, secutum esse.

Tertius A. Lipsius haec fere sentit.¹⁾ Xenophontis opus Historias nominari non posse; scriptum id esse, quod res gestas contineat ex memoria narratas a viro, qui longissimam per vitam plurima viderit et audiverit; ab hac igitur parte opus Xenophonteum inspicientibus id mirari non licere, quod auctor in rebus narrandis et digerendis tanta libertate proprioque arbitrio usus sit. Maximam illam diversitatem, quam in genere narrandi intellegamus, ex ea re ortam esse, quod scriptor non omnibus rebus gestis interfuisset neque omnes ei eodem modo curae fuissent. Sic ea, quae in duobus prioribus libris insint, brevissime eum tractare, quod res illis annis gestae incuriosum eum praeterierint, quia tum nihil nisi consuetudo cum Socrate habita animum eius expleret. Accedere

¹⁾ Über den einheitlichen Charakter der Hellenica des Xenophon. Progr. gymnasii Luckaviensis 1857.

quod Xenophon alienus fuerit a re militari et a proeliis navalibus, quae totos fere duos libros priores complerent. Repudiat igitur Lipsius sententiam eorum, qui negant Historiam Graecam unum opus esse et uno animo conscriptam esse. Ipse quidem persuasum habet Xenophontem quaecumque in Historia Graeca legimus, eo modo, quo res novisset quoque ei curae fuissent, conscripsisse, cum in annos res gestas describendo sequeretur.

Singularis fere sententia R. Grosseri fuit. Is duabus commentationibus¹⁾ haec maxime exposuit:

1. Plutarchum, qui ex Xenophontis Historia Graeca hausisset, res commemorare, quae apud Xenophontem non exstarent.

2. Veteres Historiam Graecam summis laudibus extollere, hodie contrarium saepe fieri: itaque veteres Xenophontis genuinum opus habuisse, nos non habere necesse esse.

3. Exped. Cyri II 6, 4 Xenophontem verbis ἄλλη γέγραπται ad alium scriptorum suorum locum spectare, qui nusquam nisi in Historia Graeca quaeri deberet, ubi non inveniretur.

4. Eundem in modum Athenaeum IV 76, 174 f locum quendam Xenophonteum in animo habere, qui ipse quoque solius Historiae Graecae esse posset, ubi non inveniretur.

5. Deinde Suidam sub voce ἀρχεῖα locum citare ex Xenophontis ἱστοριῶν ὀγδόῃ, qui in Historia Graeca non exstaret.

6. Nonnullos lexicographos (velut Pollucem II 97 ἀναχαίνειν) citare vocabula quaedam Xenophontea, quae hodie apud Xenophontem non iam exstarent.

Addit nonnulla argumenta, quae ad intimam operis naturam spectant; sic ostendere studet compluribus locis

¹⁾ Fleckeis. Annal. vol. 93, 1866, p. 721—732; vol. 95, 1867, p. 737 sqq.

(I 1, 9. I 5, 6. I 5, 14. II 1, 14 al.) res quasdam, quae ad sensum et conexum necessariae sint, omitti. Ex his argumentis Grosserus efficit nos Xenophontis genuinum opus non habere, sed epitomen nescio quo tempore ex Historia Graeca confectam. Quod quaestionem nostram attinet, Grosserus negat Xenophontis opus uno tenore scriptum esse, sed affirmat ex epitomae natura prodi Historiam Graecam ex compluribus diversis partibus conflata esse i. e., ut Grosseri est sententia, ex his tribus partibus: I—II 3, 10; II 3, 11—V, 3; V 4, 1—VII.

L. Breitenbachius, editor operum Xenophonteorum, eandem fere quam Niebuhrius sententiam profert.¹⁾ Praefatione editionis suae haec ostendere studet.

1. Duos priores libros Xenophontem non nisi ad continuandum opus Thucydideum composuisse. Quod ut demonstret, in iis nititur, quae veteres de ea re tradunt, arcessitque notissimos illos locos Dionysii Halicarnassensis ep. ad Pomp. c. 4, Marcellini vita Thucyd. § 45, Diodori XIII 42. Deinde ex habitu exordii Historiae Graecae eandem rem efficere posse sibi videtur.

2. Quinque posteriores libros „ratione et consilio a duobus prioribus diversos esse“. Primum enim ea re duas partes Historiae Graecae inter se differre, quod Xenophon in priore morem Thucydideum res gestas secundum aestates atque hiemes digerendi imitatus sit, id quod in posteriore parte omnino fere non fiat. Accedere, quod posterioris partis plane alia et diversa natura sit ac prioris. Nam hac eum res gestas, quas Thucydides reliquisset, describere in animo habuisse, contra posteriore eum non historiam componere „sed sequentis temporis imaginem quandam exhibere“ voluisse. In hac parte Xenophontem in rebus divinis et humanis considerandis omnino disciplinam et praecepta sequi, quae Socrates

¹⁾ Xenophontis de postremis belli Peloponnesiaci annis libri duo sive Hellenicorum libri I et II. Editio altera. Lipsiae 1880.

magister de moribus et de ratione optime vivendi dederit: ex virtute (*σωφροσύνη*) res augeri et prospere succedere, ex superbia (*ἀρχαία, ὕβρις*) perniciem et interitum parari illum persuasum habere.

3. Duas illas partes Historiae Graecae diversis temporibus compositas esse. In hac re demonstranda omnino fere iisdem ac Niebuhrius locis nititur: II 4, 43; VI 4, 37 (cf. p. 1).

Maxime quaestioni nostrae solvendae profuit Guil. Nitschius illustrissima commentatione, quae inscribitur „Über die Abfassung von Xenophons Hellenica.“¹⁾ Nitschius initium inde sumit, ut demonstret libros III—V 1 in unum corpus cogendos esse. Hanc partem eo tempore conscriptam esse, quod intra annos 384/3 et 371 intercederet. Deinde ostendit libros V 2—VII unum corpus esse, quod circa annum 357/6 scriptum sit. Postquam operam dedit, ut Xenophontis annum natalem definiret — circa annum 440 eum natum esse putat — demonstrare studet libros priores duos non ante pacem Antalcidae (387) conscriptos propterea cum libris III—V 1 in unum corpus coniungendos esse. Historiam igitur Graecam ex duabus partibus diversis temporibus conscriptis constare existimat, quarum confinium sit post caput libri quinti primum.

Horum virorum sententias tractavisse satis habeo: praeter eos plurimi sunt, qui eidem quaestioni operam dederunt, quorum sententias, cum iis, quas exposui, magis minusve similes sint, uberius non tractabo; tamen nomina saltem virorum titulosque scriptorum describam.

G. R. Sievers, Commentationes historicae de Xenophontis Hellenicis. Berol. 1833.

† C. H. Volckmar²⁾, Commentatio historico-critica de Xenophontis Hellenicis. Gotting. 1837.

¹⁾ Progr. d. Sophiengymnas. Berol. 1871.

²⁾ Libros cruce notatos non mihi contigit ut inspicerem.

- C. Peter, *Commentatio critica de Xenoph. Hellen.* Halis 1837, p. 71 sqq.
- † C. A. F. Brückner, *De notationibus annorum in Historia Gr. Xenophontis suspectis.* Suidnic. Progr. 1838.
- † J. Spiller, *Quaestionum de Xen. Hist. Gr. spec.* Vrat. 1843.
- † J. F. Ch. Campe, *Historia Gr. versa, in praefat.* Stuttg. 1856.
- † *Α. Κυπριανός, περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφ.* Athenis 1858.
- B. Büchschütz, *Philol.* XIV, 1859, p. 548 (suspiciatur nos *Historiae Gr. epitomen* parum diligenter confectionem habere).
- † W. Th. Jungclaussen, *De Campio et Buechsenschuetzio Xenoph. Hellenicorum interpretibus.* Progr. Mehl-dorf. 1862.
- L. Freese, *Über den Plan, welchen Xen. im 2. Teile seiner hellen. Geschichte verfolgt.* Stralsund 1865.
- H. Dittrich-Fabricius, *Annal. Fleckeis.* 93, 1866, p. 455 sq.
- A. Laves, *Xen. Hell., Buch I u. II.* Lyck. 1867.
- Aem. Müller, *De Xen. Historiae Gr. parte priore.* Diss. Lips. 1865, p. 1—7 (duas distinguit partes I—II 3, 10; II 3, 11—VII).
- Arn. Schäfer, *Abr. d. Quellenkunde d. gr. Gesch.* Lips. 1867. I 36 (libros I et II ad opus Thucyd. continuandum, libros III—VII posteriore tempore conscriptos esse).
- E. v. Leutsch, *Philol.* XXXIII, 1874, p. 97 et 127.
- W. Vollbrecht, *De Xenoph. Hellenicis in epitomen non coactis.* Progr. Lycei II Hannov. 1874.
- Th. Fellner, *Hist. Untersuchungen.* Arn. Schäfer . . . gewidmet. Bonnae 1882, p. 63 sqq.
- H. Dittrich-Fabricius, *Zu Xen. Hell. u. Anab. Philol.* XLIX, 1890, p. 574.
- E. Richter, *Xen.-Studien.* Lips. 1893 *Annal. Fleckeis.* Supplem. XIX p. 149 sqq.
- G. Friedrich, *Zum Panegyricus des Isocrates.* *Annal. Fleckeis.* vol. 147. 1893, p. 1 sqq. (tres partes distinguit I—II 3, 10; II 3, 11—V1; V 2—VII. p. 15 et 17.)

R. Hirzel, *Der Dialog*. Lips. 1895. I 172.

C. Wachsmuth, *Einl. i. d. Stud. d. a. Gesch.* Lips. 1895.
p. 533 sqq. (tres partes distinguit I—II 3, 10; II
3, 11—V 1, 35; V 1, 36—VII.)

Contra eos viros, qui accuratissimis quaestionibus habitis eo perducti sunt, ut *Historiae Graecae* diversas partes distinguendas esse existimarent, duo viri doctissimi nostrorum dierum ad sententiam eorum redierunt, qui illud opus uno tenore compositum esse persuasum habuerunt: Ed. Schwartzius¹⁾ et Ed. Meyerus²⁾, ita ut pateat, intricatam hanc quaestionem ad liquidum minime iam adductam esse.

Sed cum viri docti omnes, qui sive ab hac sive ab illa parte huic quaestioni operam navaverunt, in examinanda rerum gestarum memoria narrandique ratione a Xenophonte adhibita omnem operam conlocaverint, ante hos viginti sex annos Guilelmus Dittenberger,³⁾ vir doctissimus et magister mihi maxime reverendus, rationem omnino fere novam inquirendi in medium protulit. Quaestiones illius, quibus ordini chronologico dialogorum Platoniorum lucem attulit, celebriores sunt, quam ut hoc loco eas laudare conveniat, sed uno verbo rationem illam novam describere mihi liceat. Primus ille vir doctissimus usu atque genere dicendi, quod scriptor sequitur, accuratissime examinando per singula scripta et comparando argumenta sibi comparavit, quibus demonstraretur, utrum certi dialogi Platonis eodem an diverso tempore conscripti essent. In eadem commentatione Dittenbergerus breviter ostendit, ut in Platonem, sic etiam in Xenophontis libros illam rationem quaerendi adhiberi posse.⁴⁾

¹⁾ Mus. Rhen. XLIV 1889 p. 161 sqq.

²⁾ Gesch. d. Altertums, vol. III 1901 p. 278. 281.

³⁾ Hermes XVI 1881 p. 321 sqq.

⁴⁾ Ante Dittenbergerum in usum dicendi Xenophontis inquisiverunt inter alios H. Beckhaus, *De Xenophonte* qui fertur Agesilao, Diss. Berol. 1863. p. 31 sqq. et E. Naumann, *De Xeno-*

Ac iam fuerunt, qui in ea via, quam Dittenbergerus in quaestionibus Platonice ingressus est, ad studia Xenophontea adiuvanda pergere conarentur, e quibus hi nominandi videntur:

Adalb. Roquette, De Xenophontis vita. Diss. Regimont. 1884.

Fr. Rosenstiel, De Xenophontis Historiae Gr. parte bis edita. Diss. Gotting. 1882.

H. Sauppe, Nachr. d. k. Ges. d. W. zu Götting. 1882. p. 297—308.

J. A. Simon, Xenophontische Studien. Progr. Düren. 1887 et in Annal. Fleckeis. 137, 1888, p. 745.

T. Mommsen, Beitr. zur Lehre v. d. gr. Präpos. Berol. 1895, p. 365.

J. A. H. Richards, The Hellenics, Classical Review 1901, p. 197 sqq.

Cum ego quoque a Dittenbergero magistro mihi maxime colendo admonitus in animum induxerim quaestiones illius generis instituere, pauca mihi praefanda videntur de eorum virorum doctorum argumentis, qui universam hanc rationem in numeranda particularum frequentia rimandisque sermonis differentiis positam reiectaneam arbitrantur eaque via ad indolem temporaque scriptorum veterum recte aestimanda aliquid bonae frugis percipi posse negant. In quibus primo loco recensendus est J. J. Hartman Batavus, quem vel Eduardus Schwartz, vir doctissimus, his verbis collaudare non dubitavit: „... wie überraschende Resultate durch die ... Methode gezeitigt werden, mag die ergötzliche Satire zeigen, mit der jüngst der Holländer Hartman in seinen *Analecta Xenophontea* diese Methode heimgesucht hat.“¹⁾ Inveniuntur Hartmani argumenta in libri, qui inscribitur „Ana-

phontis libro qui *Λακεδ. Πολιτεία* inscribitur, Diss. Berol. 1876. p. 48 sq., sed id tantum respicientes genuinumne esset scriptum quoddam necne.

¹⁾ Mus. Rh. XLIV 1889 p. 184 sq.

lecta Xenophontea¹⁾ capite tertio, quod est de particularum apud Xenophontem usu. Quo in capite nominatim Roquettium modo (quem supra nominavi) aggreditur, re vera autem iudicio suo Dittenbergerum non minus quam Roquettium damnat, quod ipsius Hartmani verbis demonstratur. Etenim p. 44 ostendere studet particularum usum nullo modo ad tempora librorum definienda (videas quaeso infra) idoneum esse, sed potius praepositionum plane idem significantium (ὅν, μετά — id quod Tycho Mommsenus affirmaverat), deinde sic pergit: „... et vera Mommseni observatio cum Dittenbergeri computatione nihil commune habet.“ Eadem res evidenter inde intellegitur, quod Hartmanus, cum ad finem pervenerit, „statisticam“ in universum damnat; si re vera, ut initio ipse quidem affirmat, Dittenbergeri quaestiones exciperet, tale iudicium in fine nullo modo edicere ei licebat.

Res postulat, ut quam brevissime de Roquettii inquisitionibus referam. Dittenbergeri commentatione commotus ille in dissertationis, quam nominavi, paragraphis nona ac decima tempora cunctorum Xenophontis librorum definire suscepit idque ea ratione, ut Xenophontis usum omnium particularum perquireret et conferret. Nullo modo fieri potest, ut hoc loco duas illas ingentes Roquettii tabulas recenseam, sed imaginem saltem diligentiae et industriae, quam Roquettius praestitit, exhibebo. Priore tabula ostendit, quotiens singulae particulae in universum inveniantur in singulis libris; inquit autem in has: μήν, οὐν, δή, γε, τοί etc., πέρ, δήπου, ἄρα, αὖ, quin etiam particulas τε et δέ collegit, has quidem scriptis maioribus exclusis. Deinde quibuscum aliis illae particulae coniunctae inveniantur, posteriore tabula ostendit simulque notat, quotiens singulae particularum coniunctiones in singulis libris Xenophontis exstent. Sunt autem particularum coniunctiones hae:

¹⁾ Lugduni Batavorum 1887.

- I. μήν: γε μήν, καὶ μήν (-γε), ἀλλὰ μήν (-γε), ἀλλὰ τίς μήν, τίς (πῶς) μήν, οὐ(δὲ)μήν, ἢ μήν, μὴν solum.
- II. οὔν: μὲν οὔν, πάνν μὲν οὔν, τίς (ἄρα, πῶς) οὔν, γοῦν, τοιγαροῦν, οὐκοῦν, οὐκουν, ὅστιςοῦν etc., δ'οὔν.
- III. δή: δή (καὶ δή, γὰρ δή) μὲν δή, δὲ δή, γέ δή, τίς (πῶς, ἄρα) δή, καὶ γὰρ δή, μὲν γὰρ δή, καὶ μὲν δή, καὶ δὴ καί.
- IV. { γέ: γε μήν, ἀλλὰ μήν γε etc., γέ cum pron. person.
γε μέντοι + μέντοιγε,
- V. { τοί etc.: μέντοι, τοίνυν, καίτοι, τοί, οὔτοι, ἐπεὶ τοι,
ἦτοι.
- VI. πέρ: ὅσπερ, ὥσπερ, ἥπερ, καθάπερ, καίπερ, οἷόςπερ, ὅσοςπερ, ὅστιςπερ, εἵπερ, οὔπερ, ὅτεπερ etc., ἥπερ, ἄνπερ
- VII. τέ: τε-καί, τε-τε, οὔτε-οὔτε (-τε), εἵτε-εἵτε.

Hartmanus id, quod demonstrare vult, perspicue prae-
dicat „Roquettium tabulis suis componendis operam perdi-
disse“, ea igitur argumenta, quae ex usu dicendi scriptoris
observando nascantur, inania esse. Quam ad rem demon-
strandam multa ac varia argumenta profert, quorum priora
tam levia sunt, ut paucis verbis refelli possint. Sic breviter
dico clarissimam illam „saturam“, quae a Schwartzio voca-
tur, minime Dittenbergeri disquisitiones tangere, nam ipse
in commentatione sua clarissime ostendit illas quaestiones
nunquam solas per se eam vim habere, ut ordinem chro-
nologicum indicarent et definirent, sed eas advocandas non
esse nisi ubi id ageretur, ut aliqua coniectura aliis de
causis prolata aut confirmaretur aut destrueretur. Roquet-
tium Hartmanus meliore iure satura sua aggredi videatur,
cum ille non tam clare quam Dittenbergerus rationis nume-
rorum fines circumscripserit. Sed quisquis considerat
Roquettium omnino Dittenbergeri commentatione incita-
tum esse, ut quaestiones suas institueret, et, quatenus
Xenophontis Historia Graeca attingitur, illum plane idem
sentire, quod Dittenbergerus antea ostendit, ei optimo iure
credere licet Roquettium, quoad non contrarium pronun-

tia, in ea quoque re cum Dittenbergero consentire, quatenus argumenta ex tabulis deprompta vim habeant. Cuius rei hoc argumentum affero, quod etiam Roquettius quaestionibus suis id solum confirmare ac fulcire in animo habet, quod iam antea multis aliis causis plurimis viris doctis comprobatum erat.

Mommseni observationem de praepositionibus *σύν* et *μετά* factam recte se habere pergit Hartmanus; ex ea re quod scriptor quivis duo verba plane idem significantia evidenter impari ratione usurpet, argumenta in tempora librorum definienda iure derivari. Contra in numero particularum non esse, quae in notione ac vi omnino concinant, neque cuiquam licere illas orationi inserere, ut verba *πατήρ, μήτηρ, τύπτω*. Dicit igitur Hartmanus in arbitrio ac voluntate scriptoris non positum esse, quam particulam usurpare et quando et ubi usurpare vellet, sed singulis orationis locis pro conexu sententiarum certam particulam adhibendam esse, quam scriptori non magis evitare liceat quam verba *πατήρ, μήτηρ*. Qua ex re colligit ex usu particularum observando omnino nihil comparari posse ad quaestionem temporis solvendam ac diiudicandam.

Sic primum affert particularum coniunctionem *δ' οὖν*, cuius usum ex certissimo sententiarum conexu totoque sensu posci neque ex voluntate scriptoris pendere dicit. Quod ut ostendat, praeter locos quosdam Platonis (Apol. exordium, Laches 184 A) hos Expeditionis locos affert: I 2, 25: *οἱ μὲν ἔφασαν ἀρπάζοντάς τι κατακοπῆναι ἐπὶ τῶν Κιλίκων, οἱ δὲ . . . πλανωμένους ἀπολέσθαι ἤσαν δ' οὖν οὗτοι ἑκατὸν ὀπλίται* et II 4, 6: *ποταμὸς δ' εἰ μὲν τις καὶ ἄλλος ἄρα ἡμῖν ἐστι διαβατέος οὐκ οἶδα τὸν δ' οὖν Εὐφράτην ἴσμεν ὅτι ἀδύνατον διαβῆναι . . .* Ex his duobus locis Hartmanus iure colligere sibi videtur particularum usum sensu et conexu flagitari neque ex voluntate scriptoris pendere. Quam sententiam iam examinemus.

Primum Hartmanus neglexit minime casu fieri, ut in aliquo scribendi genere certa aliqua particula, cui una

tantum neque mutabilis notio inest, opus sit, in alio eius adhibendae occasio non offeratur. Hartmanus dicit particularum coniunctionem *δ'οὖν* solo ex sensu posci — esto; nos autem dicimus iam id, quod in aliquo libro scriptor nunquam ita scribit, ut sententiarum conexus certam particulam poscat, argumentum nobis exhibere, quo ille liber ab alio quodam secernatur, in quo plurimis locis ex conexus opus sit aliqua particula. Quid sentiam, exemplo potissimum ostendo. Constat antiquissimos logographos, qui vocantur, numeros orationis nondum observasse, sed singula enuntiata per parataxim simplici *καί* vel *δέ* coniunxisse, id quod Aristoteles Rhet. III 9 testatur *εἰρομένην λέξιν* dicens. Fingamus librum, qui antiquissimi illius temporis orationis solutae sit; quamquam particularum coniunctio *δ'οὖν* certissime in numero earum est, quae maxime ex conexus poscuntur — id Hartmano sine ulla dubitatione concedimus — tamen in libro aliquo illius temporis illam non inveniremus, cum in scriptis quarti saeculi haudquaquam rara sit. Nos igitur altius Hartmano inquirimus interrogantes, utrum in singulis libris genus dicendi ita se habeat, ut alicui particulae suus locus sit necne; tum autem duobus scriptis inventis, quae illa re manifesto differunt, dicimus ea genere dicendi diversa esse.

Tum negamus id verum esse, quod Hartmanus de usu particularum coniunctionis *δ'οὖν* affirmavit, illam una certa ac definita notione a Xenophonte usurpari. Exped. Cyr. II 4, 6 vis particularum coniunctionis *δ'οὖν* haec est: utrum aliud flumen nobis transgrediendum sit necne, nescio — utcumque id se habet, hoc unum certum est Euphraten . . .; significat igitur *δ'οὖν* idem quod Latine „utique“, Germanice „jedenfalls“. Quam notionem *δ'οὖν* altero quoque loco, quem Hartmanus attulit, I 2, 25, habet. Si vero ille dicit eam notionem constantem esse neque particularum coniunctionem *δ'οὖν* aliter nisi illa notione usurpari — hoc erratum est. Hist. Gr. V 3, 8: *τοῖς δ'οὖν Λακεδαιμονίοις . . . ἐδόκει οὐ φαύλην πεμπτέον δύναμιν*

εἶναι Hoc loco δ'οὖν notionem „utique“ post sententiam „utcumque id se habet“ iam ob eam causam habere non potest, quod verbis τοῖς δ'οὖν sententia incipitur et non solum sententia, sed etiam nova quaedam narrationis pars, quae cum superiore omnino non cohaeret, sed ad prorsus alias res narrandas transit. Nam ante verba τοῖς δ'οὖν . . . legimus nonnullas Xenophontis sententias in universum ad docendos homines positas: ὥς οὐδ' οἰκέτας χρεὶ ὀργῇ κολάζειν et ἡ . . . ὀργὴ ἀπρονόητον, ἡ δὲ γνώμη σκοπεῖ οὐδὲν ἥττον μὴ τι πάθῃ ἢ ὅπως βλάβῃ τι τοὺς πολέμιους Post haec verba scriptor in narrando pergit usurpatque non nisi transitionis causa particularum coniunctionem δ'οὖν, pro qua simplex δέ vel μέντοι etc. non minus apte usurpare potuit. Sed dixerit quispiam scriptorem particularum coniunctionem δ'οὖν transitionis causa usurpatam tamen consulto adhibuisse, scilicet ut indicaret digressionem illam ante δ'οὖν factam finitam esse seque ad rem propositam redire. Quod si quis putaverit, ego non contra dico, sed dico Xenophontem nullo modo coactum fuisse illo loco δ'οὖν ponere, sed etiamsi illam rem indicare vellet, ei omnem libertatem in scribendo fuisse. Cuius rei argumentum locum Hist. Gr. VI 2, 39 affero, quo etiam longiorem digressionem habemus, sed Xenophon ibi simplici δέ ad rem suam redit. — VII 4, 12: σχεδὸν δὲ περὶ τοῦτον τὸν χρόνον τετελευτηκότος ἤδη τοῦ πρόσθεν Διονυσίου ὁ υἱὸς αὐτοῦ πέμπει βοήθειαν τοῖς Λακεδαιμονίοις . . . καὶ ἄρχοντα . . Τιμοκράτην. οὗτος δ'οὖν ἀφικόμενος συνεξαίρεῖ αὐτοῖς Σελλασίαν. Ex hoc loco luce clarius apparet Hartmani dictum falsum esse: simplicissimam narrationem is locus praebet, ubi altera res alteram cito sequitur. Sed fortuna nobis hunc locum, quo solo Hartmani sententia refellatur, invidere videtur, nam pro δ'οὖν varia lectio δ'αὖ exstat. Equidem diiudicare non audeo, utra lectio potior sit; utique clarissimi editores Sauppius, Breitenbachius, Kellerus δ'οὖν — id quod nobis favet — receperunt.

Iam ab altera parte locum afferam, quo Xenophon,

quamvis totus sententiarum conexus talis sit, ut particularum coniunctionem δ'οὖν ea notione, quam Hartmanus dicit, prorsus flagitet, non δ'οὖν, sed aliud quid scripsit. Hist. Gr. I 6, 5: ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ οἴκοι μένειν, καὶ εἴτε Λύσανδρος εἴτε ἄλλος τις ἐμπειρότερος περὶ τὰ ναυτικά βούλεται εἶναι, οὐ κωλύω τὸ κατ' ἐμέ· ἐγὼ δ' ὑπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὰς ναῦς πεμφθεὶς οὐκ ἔχω τί ἄλλο ποιῶ ἢ τὰ κελεύόμενα . . . Quo loco totus conexus et sententiarum consecutio plane eadem est, quae iis Expeditionis locis, quos Hartmanus attulit: „sive Lysander sive alius rei navalis peritior esse vult, non impedio; utcumque id se habet, utique hoc unum certissimum est me a civitate missum esse.“ Ergo ex hoc quoque loco luce clarius apparet omnino non a conexu pependisse, utrum Xenophon δ'οὖν adhibere posset necne; nam secundum usum posteriorum librorum optime illo loco scribere potuit: εἴτε Λύσανδρος, εἴτε ἄλλος τις ἐμπειρότερος . . . βούλεται εἶναι, οὐ κωλύω τὸ κατ' ἐμέ· ἐγὼ δ' οὖν ὑπὸ τῆς πόλεως πεμφθεὶς . . .

Iis, quae de particularum coniunctione δ'οὖν eiusque usu dixit, absolutis Hartmanus similem rem aggressus demonstrare studet ne in particula μὴν quidem, quam multo saepius legi inter omnes constat, scriptori permitti, ut arbitrium ac voluntatem suam sequatur. Quam ad rem omnes Expeditionis locos, quibus μὴν positum est, examinat et in singulis operam dat, ut particulae μὴν certissimam ac peculiarem vim attribuat, unde ostendatur Xenophontem sensu et conexu sententiarum coactum facere non potuisse, quin particulam μὴν usurparet. Conspicuum est nos illos locos omnes uberius tractare non posse; sed ut lectori speciem saltem praebeam, qua ratione Hartmanus in ea re usus sit, brevissime addam, quibus maxime causis commotum Xenophontem μὴν posuisse Hartmanus dicat.

1. I 9, 16. 18. 20 μὴν usurpatur, ut transitus ad novum quoddam argumentum fiat (scil. in morum descriptione).

2. II 5, 11. III 2, 16. VII 7, 51 etc. etc. μὴν at argumenta conectenda usurpatum est.

3. V 8, 26. II 4, 20 μήν positum est, ut argumentorum series cum ultimo membro coniungatur; ipsa conclusio legentium prudentiae permittitur.

4. I 7, 5. VI 6, 4 et simili modo III 4, 40; V 8, 3 μήν incohat responsum, quod aut demonstret aut refellat ea, quae ante dicta sunt.

Ut ea, quae Hartmanus de particulae μήν usu disputavit, refellamus, primo nostrum erit demonstrare in iis Xenophontis libris, qui eidem fere tempori cui Expeditio attribuendi sunt, locos inveniri, quibus μήν, γε μήν, καὶ μήν legantur, quamvis non subsint illae causae, quas Hartmanus repperisse sibi visus est. Ab altera parte nobis ostendendum erit apud Xenophontem locos exstare, quibus quamvis causae illae Hartmanianae valeant, μήν non inveniatur. Ac primum quidem id in Hartmano vituperamus, quod ea, quae Dittenbergerus rectissime observaverat, silentio praeteriit. Ille enim in commentatione saepius commemorata clarissime ostendit eorum Xenophontis librorum, quos ultima vitae aetate conscripsisset, propriam esse particulam μήν (γε μήν) sine ulla necessitate tam ubertim, ut lector fatigaretur, a scriptore repetitam. Haud sane difficile nobis erit Hartmani dicta ad irritum redigere. Hist. Gr. VII 5, 21 legimus: *πρῶτον . . . ὥσπερ εἰκός, συνετάττετο. τοῦτο δὲ πράττων σαφηνίζειν ἐδόκει ὅτι εἰς μάχην παρεσκευάζετο· ἐπεὶ γε μήν ἐτέτακτο αὐτῷ τὸ στράτευμα . . ., πρὸς τοὺς πολεμίους οὐκ ἤγε . . .* Hoc loco neque ullius generis argumenta proferuntur, quae Xenophon particula μήν adhibenda conectere debuerit — id quod Hartmanus supra causam protulerat — neque „duae res inter se opponendae“ sunt, quam alteram causam particulae μήν ponendae esse Hartmanus affirmaverat, neque omnino eo loco ulla verba sono extolli dici potest, quam postremam causam esse putaverit quispiam. Apparet igitur eo loco sine ulla necessitate particulas γε μήν a Xenophonte usurpatas esse. Eandem rem intellegimus loco Historiae Gr. VII 5, 22: *ἐπεὶ ἐξετάθη αὐτῷ ἡ φάλαγξ, . . . ἔθετο τὰ*

ὄπλα . . . τοῦτο δὲ ποιήσας ἔλυσε μὲν τῶν πλείστων πολεμίων τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς πρὸς μάχην παρασκευήν, . . . ἐπεὶ γε μὴν παραγαγὼν τοὺς . . . λόχους . . . , τότε δὴ . . . Ne hoc quidem loco ulla causa intellegitur, cur scriptor γε μὴν adhibere coactus fuerit nec facile quisquam illum non minus apte simplex ἐπεὶ δέ vel ἐπεὶ μέντοι scribere potuisse negaverit. Praeter eos, quos descripsi, hos locos affero, quibus μὴν (γε μὴν) sine ulla necessitate positum est: Hist. Gr. VI 1, 19 bis. 2, 29. VII 1, 26. 3, 7. 4, 28. Nonnullos quoque locos adiciam, quibus καὶ μὴν sine ulla necessitate tantummodo ad transitum efficiendum usurpatum est: Hist. Gr. VII 4, 24. 27. 30. 5, 23. 25. Hic commonefacio de iis, quae Dittenbergerus de usu particularum μὴν et γε μὴν in minoribus quibusdam Xenophontis scriptis, quae sunt ultimae scriptoris aetatis, observavit. Sic sine ulla causa μὴν (γε μὴν) legitur in Re publica Laced. VII 1. 5. 6, cum aliis particulis coniunctum μὴν positum est ibidem VII 3. 4. Deinde in libello, qui Πόροι inscribitur, μὴν constanter ad novum enuntiatum incipiendum adhibetur: III 1. 2. 5. 12. IV 1 plurimisque aliis locis.

Iam ostendamus ab altera parte Hartmanum de usu particulae μὴν falsa docere. Quod quo facilius absolvamus, unum exemplum quam aptissimum exhibebimus. Hist. Gr. I 7, 21 sqq. haec legimus: κατὰ τοῦτο τὸ ψήφισμα κελεύω κρίνεσθαι τοὺς στρατηγοὺς καὶ τὴν Δία . . . πρῶτον Περικλέα . . . τοῦτο δ' εἰ μὴ βούλεσθε, κατὰ τόνδε τὸν νόμον κρίνατε, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς ἱεροσύλοις καὶ προδόταις . . . τούτων ὁποτέρῳ βούλεσθε . . . τῷ νόμῳ κρίνεσθων οἱ ἄνδρες . . . τούτων δὲ γιγνομένων οἱ μὲν ἀδικοῦντες τεύξονται τῆς μεγίστης τιμωρίας, οἱ δ' ἀναίτιοι ἐλευθερωθήσονται . . . ὑμεῖς δὲ κατὰ τὸν νόμον εὐσεβοῦντες . . . κρίνεῖτε . . . τί δὲ καὶ δεδιότες . . . οὕτως ἐπείγεσθε; ἢ μὴ οὐχ ὑμεῖς ὃν ἂν βούλησθε ἀποκτείνετε καὶ ἐλευθερώσητε . . . ἀλλ' ἴσως ἂν τινα καὶ οἷκ αἴτιον ὄντα ἀποκτείναιτε . . . δεινὰ δ' ἂν ποιήσαιτε, εἰ Ἀριστάρχῳ . . . ἔδοτε ἡμέραν ἀπολογήσασθαι, . . . τοὺς δὲ στρατηγοὺς . . . τούτων ἀποστερήσετε. μὴ ὑμεῖς γε, ὧ Ἀθηναῖοι, ἀλλ' ἐαυτῶν

ὄντες τοὺς νόμους . . . φυλάττοντες, ἄνευ τούτων μηδὲν πράττειν πειρᾶσθε. In hoc uno exemplo omnia fere, quae huc pertinent, coniuncta cernuntur. Partem eius orationis ante oculos habemus, quam Euryptolemus post pugnam apud Arginusas insulas factam pro octo ducibus habuit. Ac primum quidem initio uniuscuiusque enuntiati novum argumentum affertur, id quod hic conspectus ostendat:

κατὰ τοῦτο τὸ ψήφισμα κελεύω
 τοῦτο δ'εἰ μὴ βούλεσθε
 τούτων ὅποτέρῳ βούλεσθε
 τούτων δὲ γιγνομένων
 ὑμεῖς δὲ κατὰ τὸν νόμον
 τί δὲ καὶ δεδιότες
 ἀλλ' ἴσως ἂν τινα
 δευνὰ δ'ἂν ποιήσαιτε
 μὴ ὑμεῖς γε

Ad tot argumenta inter se coniungenda Xenophonem ne semel quidem particula *μήν* (γε *μήν*) usum esse ex conspectu apparet. Quo igitur dilabuntur omnes illae causae Hartmanianae, ex quibus pendere ille dixit, quando et quo sententiarum conexu particula *μήν* usurpari debuerit? Sed accuratius videamus, quid nos illud exemplum doceat. Primum quidem intelleximus scriptorem argumentorum conectendorum causa non *μήν* adhibuisse, sed aut conjunctionem omnino evitasse aut argumenta simplici *δέ* vel *ἀλλά* adhibito coniunxisse. Verbis *τούτων ὅποτέρῳ βούλεσθε*... quodammodo conclusio fit ex duobus membris, quae antecedunt: *κατὰ τοῦτο τὸ ψήφισμα κελεύω* . . . et *τοῦτο δ'εἰ μὴ βούλεσθε* . . ., nam his duae res Atheniensibus praebentur, quarum utramvis accipere possunt, verbis autem *τούτων ὅποτέρῳ βούλεσθε* . . ., ut Hartmani verba sequar, altera syllogismi pars annectitur, quali sententiarum conexu particulam *μήν* necessariam a Xenophonte adhiberi Hartmanus affirmavit (cf. p. 16 sub 3) — sed frustra eam loco nostro quaerimus. Ultima duo membra sunt: *δευνὰ δ'ἂν ποιήσαιτε*

et μὴ ὑμεῖς γε Apertum est verbis μὴ ὑμεῖς γε, ὧ Ἀθηναῖοι, cum omnia, quae sequuntur, maxima orationis contentione affici, tum sententiam insequentem acerrime superiori opponi — utrumque Hartmanus causam esse dicit, qua Xenophon μὴν ut ponat commoveatur. Quamquam hoc loco duae gravissimae causae exstant, cur tamen scriptor particulam μὴν non adhibuit? Nempe quod particularum usus non, ut Hartmanus dicit, extra voluntatem scriptoris positus est, sed ex arbitrio eius pendet, utrum particulas ponere velit necne, et quas adhibere velit, quas non velit.

Porro Hartmanus dicit p. 51 sq. in simplici narratione particulam μὴν (in Expeditione) raro inveniri, tamen eam usurpari, ubi „narratio aut in demonstratione locum habeat aut ipsa sit demonstrationi similis.“ Hist. Gr. I 7, 12 legimus: τὸν δὲ Καλλιξείνον προσεκαλέσαντο παράνομα φάσκοντες συγγεγραφεῖν Εὐρυπτόλεμόν τε ὁ Πεισιάνακτος καὶ ἄλλοι τινές. τοῦ δὲ δήμοι ἔνιοι ταῦτα ἐπῆνον, τὸ δὲ πλῆθος ἐβόα δεινὸν εἶναι, εἰ μὴ τις ἐάσει τὸν δῆμον πράττειν ὃ ἂν βούληται. Sumptus est hic locus ex ea parte primi libri, qua scriptor gravissimam ac tristissimam illam de octo ducibus causam narrat, ut vix opus sit addere illo loco summam animorum perturbationem iramque demonstrari, ac re vera quis est, qui neget verba τὸ δὲ πλῆθος ἐβόα δεινὸν εἶναι, quae per se ob modum numerumque, qui Ionico similis est, gravissime atque, ut ita dicam, tristissime sonant, maxima orationis contentione affecta et praeterea verbis, quae antecedunt, acerrime opposita esse? Equidem censeo, si unquam causa ac necessitas fuerit, illo loco Xenophonti particulas μὴν (γε μὴν) ponendas fuisse. At — nihil eiusmodi invenimus. Tali loco cum iudicii sinceritate observato num quis erit, qui Hartmani leges normasque usus particularum stare censeat!

Priusquam hanc rem omnino absolvamus, utile esse existimamus ad id, quod volumus, demonstrandum, duas partes orationum alteram iuxta alteram positas de par-

ricularum usu totoque genere dicendi comparare. Quam ad rem hos locos proponimus: Hist. Gr. I 6, 8 sqq. et VI 1, 5 et 8—11, quarum orationum prior a Callicratida ad Milesios, posterior ab Iasone ad Polydamanta habita est:

Callicratidas dicit:

Ἐμοὶ μὲν, ὦ Μιλήσιοι, ἀνάγκη τοῖς οἴκοι ἄρχουσι πείθεσθαι· ὑμᾶς δ' ἐγὼ ἀξιῶ προθυμοτάτους εἶναι εἰς τὸν πόλεμον διὰ τὸ οἰκοῦντας ἐν βαρβάροις πλείστα κακὰ ἤδη ὑπ' αὐτῶν πεπονθέναι. δεῖ δ' ὑμᾶς ἐξηγεῖσθαι τοῖς ἄλλοις συμμάχοις ὅπως ἂν τάχιστα τε καὶ μάλιστα βλάπτωμεν τοὺς πολεμίους. ... Κῆρος δὲ ἐλθόντος ἐμοῦ ἐπ' αὐτὸν αἰεὶ ἀνεβάλλετό μοι διαλεχθῆναι, ἐγὼ δ' ἐπὶ τὰς ἐκείνου θύρας φοιτᾶν οὐκ ἐδυνάμην ἐμαυτὸν πείσαι. ὑπισχνούμαι δ' ὑμῖν ἀντὶ τῶν συμβάντων ἡμῖν ἀγαθῶν ἐν τῷ χρόνῳ ᾧ ἂν ἐκεῖνα προσδεχώμεθα χάριν ἀξίαν ἀποδώσειν. ἀλλὰ σὶν τοῖς θεοῖς δεῖξομεν τοῖς βαρβάροις ὅτι καὶ ἄνευ τοῦ ἐκείνου θανάμειν δυνάμεθα τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι.

Iason dicit:

Ἐγὼ γάρ, ἔφη, ἔχω μὲν Θετταλίας τὰς πλείστας .. πόλεις συμμάχους .. καὶ μὴν οἶσθά γε ὅτι ξένους ἔχω μισθοφόρους εἰς ἑξήκοντα, οἷς .. οὐδεμία πόλις δύναται ἂν ῥαδίως μάχεσθαι .. ἀλλὰ τὰ μὲν ἐκ τῶν πόλεων στρατεύματα τοὺς μὲν προεληλυθότας ἤδη ταῖς ἡλικίαις ἔχει, τοὺς δ' οὐπω ἀκμάζοντας. σωμασκοῦσί γε μὴν μάλα ὀλίγοι τινὲς ἐν ἐκάστη πόλει .. § 8. οὐκοῦν τοῦτο μὲν εὖδηλον ἡμῖν, ὅτι Φαρσάλου προσγενομένης καὶ τῶν ἐξ ὑμῶν ἡρτημένων πόλεων εὐπετῶς ἂν ἐγὼ ταγὸς Θετταλῶν ἀπάντων κατασταίην· ὥς γε μὴν ... εἰς ἑξήκοντα μὲν οἱ ἱππεύοντες γίνονται .. πλατυτάτης γε μὴν γῆς οὐσης Θετταλίας πάντα τὰ κύκλῳ ἔθνη ὑπήκοα μὲν ἐστίν .. καὶ μὴν Βοιωτοὶ γε καὶ οἱ ἄλλοι πάντες ὑπάρχουσί μοι σύμμαχοι· καὶ ἀκολοιθεῖν τοῖν ἄξιουσιν ἐμοί, ἂν μόνον ἀπὸ Λακεδαιμονίων ἐλευθερῶ αὐτούς ...

Compluribus de causis has duas orationes recte inter se composuisse mihi videor: nam primum iis rebus, quae insunt, omnino similes sunt, cum in utraque non solum

res ad bellum pertinentes tractentur, sed etiam in utraque orator eum, ad quem loquitur, cohortetur, ut se adiuvet. Deinde eo quoque inter se concinunt, quod in utraque eadem fere orationis contentio est. Quae cum ita sint, si vera essent, quae Hartmanus de particularum usu necessario atque extra scriptoris voluntatem posito protulit, hos duos locos comparantes nos eundem particularum usum, eandem copiam reperire oporteret. Sed quomodo re vera id se habet? In priore oratione totum genus dicendi simplicissimum est, particularum usus rarus atque exilis — in posteriore generis dicendi summa varietas est: numerorum ac periodorum summa ars et particularum maxima copia. In priore oratione septem locis particulae leguntur, ex quibus altera est μέν, altera ἀλλά, ceterae δέ; in posteriore undeviginti particulae diversissimae leguntur: sexies μέν, semel δέ, quinquies μήν, quinquies γε, semel τοίνυν, semel ἀλλά. Posteriorem orationem perlustrantes intellegimus ubique particularum μήν, γε μήν, καὶ μήν — γε positarum nullam aliam causam esse nisi quod illis adhibendis scriptor aut transitum sibi comparare aut duas res alteram alteri opponere voluerit, qua de re supra (p. 19) satis dictum est.

Caput alterum.

Priore capite eas praecipue quaestiones, quas Dittenbergerus instituit, rectissime se habere cognovimus; ex quibus quid prodierit breviter ut exponam res nunc postulat. Dittenbergerus in commentatione supra commemorata, qua eum particularum (μήν, γε μήν) usu observando ordini chronologico dialogorum Platonis lucem attulisse supra dixi, per digressionem Xenophontis quoque scripta respexit eademque ratione definire studuit, quibus temporibus libri Xenophonteï compositi essent. Cum igitur perquireret,

quantum usum particulae μήν (γε μήν) Xenophon in singulis scriptis sequeretur, haec repperit: cuncta Xenophontis scripta in quattuor tempora distribuenda esse, singulisque temporibus libros hunc in modum attribuendos:

- I. Cynegeticus. Historiae Graecae pars prima i. e. I—II 3, 10.
- II. Oeconomicus.
- III. Socratis Memorabilia, Hiero, Convivium, Historiae Gr. pars altera, i. e. II 3, 11—V 1, Expeditio Cyri, Institutio Cyri.
- IV. Historiae Gr. pars tertia, i. e. V 1—VII, libri *Περὶ Πόρων*, *Ἰππαρχικός*, *Περὶ Ἰππικῆς*, *Ἀγροίλαος*, *Λακεδαιμονίων Πολιτεία*.

Xenophontis scripta quattuor illis temporibus attribuenda esse Dittenbergerus his argumentis demonstravit: observaverat in primo librorum ordine particulae μήν (γε μήν) nullum esse usum, in altero rarissimum, in tertio modicum, in quarto μήν et γε μήν tam frequenter usurpari, ut lector legendo fatigaretur. Quatenus igitur quaestio illa de Xenophontis Historia Graeca habita commutatione Dittenbergeri tangitur, hoc ille ostendit: Historia Graeca neutiquam uno tenore composita est, sed tres distinguendae sunt partes, quae diversis temporibus conscriptae sunt: I—II 3, 10; II 3, 11—V 1; V 2—VII. Idem Roquettius quaestionibus suis assecutus est.

Nunciam ad eam rem pervenimus, quam nobis hoc capite proposuimus: observationibus de certarum locutionum frequentia institutis id, quod Dittenbergerus et Roquettius de Historia Graeca docuerunt, augere et confirmare in animo habemus. Earum partium, quas illi distinguendas esse ostenderunt, duas posteriores omni modo diversissimas et alteram ab altera seiungendas esse plurimis gravissimisque argumentis Guilelmus Nitschius in dissertatione supra nominata demonstravit, ut supervacaneum esse existimem, idem tertium sive quartum osten-

dere.¹⁾ Meum igitur est duos priores Historiae Graecae partes non uno tempore scriptas esse observationibus novis illustrare.

Qua in re particularum inquisitiones usui esse non iam possunt, cum Roquettius eam rem adeo absolverit, ut fieri non possit, ut quicquam addatur. Aliud igitur verborum genus adire debemus, quo examinando et conferendo ea adiuvemus, quae particularum inquisitionibus effecta sunt. Ac profecto cum de Xenophonte rerum scriptore agatur, aliorum vocabulorum usum magis respiciendum esse apparet, cum necesse sit apud eum particularum copiam atque auctoritatem multo minorem esse quam apud Platonem dialogorum philosophorum auctorem, a quo illae particularum inquisitiones initium ceperunt. Scilicet etiam apud Xenophontem ut scriptorem summa arte scribendi praeditum particulae magni momenti sunt, sed — non solae in quaestionem vocari debent. Quod si in quaestiones de universis Xenophontis libris habendas cadit, imprimis in Historia Graeca observandum est. Nam in eo libro non argumentationes summa arte logica institutas invenimus, sed narrationes rerum bellicarum terra marique gestarum librum omnino explent. Quod genus verborum mihi arcessendum esset, annotatione Dittenbergeri l. c. p. 380 facta instructus sum, ubi ille brevissime ostendit in usu Xenophonteo memorabile discrimen inter *τρόπαιον* *ιστάναι* et *τρόπαιον* *ιστασθαι* esse.

Qua annotatione commotus sum, ut in usum vocum sollemnium rei militaris, quae in Historiae Graecae prioribus duabus partibus invenirentur, perquirerem. Quam ad rem Historiam Graecam, quoad quaestione nostra attingitur,

¹⁾ Ceterum etiam novissima aetate ea res denuo semel atque iterum demonstrata est; cf. Th. Fellner, Historische Untersuchungen. Arnold Schäfer zum 25jährigen Jubiläum . . . gewidmet, Bonnae 1882, p. 47—69, imprimis autem G. Friedrich, Annal. Fleckeis. 147, 1893 p. 9 sqq. contra Schwartzium, qui Mus. Rhen. XLIV 1889, p. 161 sqq. Historiam Graecam uno tenore scriptam esse iudicaverat.

semel atque iterum perlegi et pervestigavi, primum quidem in certas ac definitas voces intentus, deinde autem, cum longius processissem, eo adductus, ut persuasum haberem totum usum vocum rei militaris, quem scriptor in prima operis parte sequitur, singularem ac prorsus diversum esse ab usu posteriorum librorum.

Quod cum ita se haberet, id spectavi, ut aliis Xenophontis libris in comparisonem vocandis usum dicendi duarum priorum Historiae Graecae partium illustrarem: nam quo maiorem materiam conferendam arcessiveris, eo certius ac verius quid in aestimando sermone numerorum rationes valeant, cognosces. Cum altera parte Historiae Graecae quos libros compararem, non haesitavi: ipsi se praebent libri et Institutionis et Expeditionis Cyri, quos plurimi viri docti posteriore Xenophontis aetate, certe non ante annum 387, Dittenbergerus subtilius eodem fere tempore quo Historiae Gr. partem alteram conscriptos esse censet.¹⁾ Quod attinet ad priorem partem Historiae Gr., haud in aequa condicione versamur; nam non exstat liber Xenophonteus, qui et argumento et tempore cum priora Historiae Gr. parte apte comparetur.²⁾ Quod cum ita se habeat, in animum induximus opus Thucydideum, quod tempore quidem optime priori Historiae Gr. parti convenit, comparandum arcessere. Quodsi in universum satis anceps periculosumque esset, sermonem Thucydidis cum Xenophonteo, scriptorum videlicet ut ingenio ita scribendi ratione inter se satis diversorum, componere, tamen hoc loco de eo vocabulorum genere agitur, cuius usus non

¹⁾ De temporibus Institutionis et Expeditionis cf. Dittenberger, *Hermes* XVI 331. Richter, *Annal. Fleckeis. Supplem.* XIX 1893 p. 150. Roquette l. c. p. 85; de Expeditionis tempore cf. Ed. Meyer, *Gesch. d. Altert.* III § 161 A.

²⁾ Solus liber, qui primae Xenophontis aetati attribuitur, Cynegeticus, ad quaestionem nostram inutilis est, cum nihil earum, quas quaerimus, vocum praebet. Tamen singula quaedam repperi, quae infra suo loco addam.

www.libtool.com.cn

	τῷ πλείονι τοῦ στρατοῦ ἀνεχώρησε	I 73, 5.
	ταῖς ναυσὶν ἀνεχώρησεν	II 58, 3.
	ἀνεχώρησαν τῷ στρατῷ	II 78, 2.
	ἀναχωρήσας τῇ στρατιᾷ	II 82.
	ἀνεχώρησε τῷ στρατῷ	II 101, 6.
	ἀνεχώρησαν ταῖς ῥ' ναυσὶν	III 16, 4.
	ἀνεχώρησε τῷ στρατῷ	III 51, 4.
	ἀνεχώρησαν „ „	IV 39, 3.
	„ „ „	IV 133, 3.
	„ „ πλείονι τοῦ στρατοῦ	V 114, 2.
	„ ταῖς ναυσὶν	VI 7, 2.
	ἀναχωρησάντων ταῖς ναυσὶν	VI 105, 3.
	τῇ στρατιᾷ ἀναχωρήσαντες	VII 79, 5.
	14	

Cyri Institutio.

cum praepositione. cum dativo. cum participio.

δρομηθεὶς σὺν στρατιᾷ	τῷ στρα-	ἐξέρχονται ἄριστον ἔχοντες	I 2, 11.
I 1, 4.	τεύματι	τόξα ἔχοντες στρατεύονται	I 2, 13.
σὺν ἵπποις ἐντὸς γιγνώ-	ἀφικοί-	ἐρχεται νιδὸν ἔχουσα	I 3, 1.
μενον	μην	ἔχων ἄπει οὗς ἂν ἐθέλης	I 3, 14.
σὺν δακρύοις ἀποχωρεῖ-	V 3, 28.	ἀποδρῶ λαβὼν ἡλικιώτας	I 4, 13.
σαι	ἵπποις	λαβόντα τάξιν ἐλαύνειν	I 4, 20.
προεληλυθόσης σὺν δυνά-	καὶ ἀν-	δύναμιν ἔχων ἐρχει	I 6, 10.
μει	δράσι	ολίπερ (sc. ὄπλα) ἔχοντες ἐρχονται	II 1, 9.
προεληλυθότος σὺν δυνά-	πορευώ-	ἦλθον ἔχων χρήματα	II 4, 9.
μει	μεθα	ἔχων (sc. δύναμιν) θηρᾶν	II 4, 16.
ἐλθὼν σὺν σόλῳ	V 3, 35.	οὗς λαβὼν ἂν ἴοις	II 4, 17.
III 1, 19.		λαβὼν ἡμίσεις ἔθι	II 4, 22.
σὺν τούτοις εἰσελθὼν		ἡμίσεις ἔχων πορεύεσθαι	II 4, 24.
III 3, 13.		λαβὼν ἡγεμόνας ἀπελθὼν	II 4, 30.

cum praepositione. cum dativo.

cum participio

ἤκατε σὺν ἄλλοις III 3,42.
 ἐξίειν σὺν ὅπλοις
 III 3,48.
 ἰόντων σὺν ὅπλοις
 III 3,54.
 φεύγουσι σὺν τέκνοις
 IV 1,17.
 ἔπεσθαι σὺν ἵπποις
 IV 2,12.
 σὺν Πέρσαις ἐπορεύετο
 IV 2,27.
 σὺν ὅπλοις ἐξίοντας
 IV 2,32.
 ἐλθόντα σὺν δυνάμει
 V 3,11.
 Κῦρον προσίοντα σὺν τῷ
 στρατεύματι V 4,6.
 σὺν ἄλλοις εἵτετο V 4,7.
 σὺν ἵπποις κατ-
 ἐφυγεν V 4,9.
 ἐπορεύετο σὺν
 ἵππευσιν V 5,5.
 ὠρμαῖο σὺν στρατεύματι
 VI 3,1.
 ἀπαντᾷ σὺν θεράπουσιν
 VI 3,14.
 ὁρμήσεται σὺν ἄρμασιν
 VII 1,9.
 φάλαγγα σὺν ἧ αὐτὸς
 ἐπορεύετο VII 1,23.
 Κροῖσος ἐφυνγε σὺν στρα-
 τεύματι VII 2,1.
 ἰόντας σὺν ὅπλοις
 VII 4,15.

ἔχων ἀπὴν τὸ στρατεύμα II 4,31.
 ἦτιον σὰ εἶναι ὧν ἂν ἔχων ἀπὴς III 1,35.
 παραγενέσθαι ἔχοντα ὁπόσοι III 2,11.
 λαβὼν τέκονας ἦκε III 2,14.
 στρατεύμα ὅσον ἦλθεν ἔχων III 3,1.
 ἔχουσα χρήματα ἀπυθι III 3,3.
 ἦκε Χρυσάντας καὶ.. αὐτομόλους
 ἄγοντες III 3,48.
 ἔθεον τέκνα ἔχουσαι III 3,67.
 ἤξομεν ἄγοντες (sc. ὑπολειπόμενόν τι
 τοῦ στρατεύματος) IV 1,19.
 λαβὼν τὸν ἄνδρα ἐξήγει IV 1,23.
 ἔχων ἱππέας ἐπηκολούθει IV 2,29.
 ἦλθον οὔτα ἔχοντες IV 2,34.
 ἔχοντες τὰ πλείστον ἀξια
 στρατεύονται IV 3,2.
 προσήλαννον ἵππους ἄγοντες IV 4,1.
 ἐπορεύετο ἔχων ἱππέας IV 5,13.
 λαβόντα ὑμᾶς ἐξελεθεῖν IV 5,21.
 Μῆδον ᾤχετο ἄγων IV 5,26.
 θώρακας ἔχοντας ὀχεῖσθαι IV 5,58.
 ουστρατεύσομαι δύνάμιν ἔχων IV 6,9.
 ἀπιέναι ἔχοντα ὅπλα IV 6,10.
 ἦγον λείαν ἄγοντες V 3,1.
 πορευόμεθα τάπιτήδεια λαβόντες V 3,35.
 ἐξήγει λαβὼν ὑπηρέτας V 3,52.
 ἔχων στρατιὰν ἦλθον V 4,43.
 ᾤχετο ἄγων στρατεύμα V 5,4.
 παρεγενόμην ἄνδρας ἄγων V 5,16.
 τούτους ἔχων ἐπορευόμην V 5,22.
 λαβὼν ᾤχον δύνάμιν V 5,33.
 ἦσαν δῶρα ἄγοντες V 5,39.
 οἴχοιτο τάλαντα ἄγων VI 1,25.
 πορεύεται ἵππους ἔχων VI 1,46.

cum praepositione. cum dativo. cum participio.

ἐφοίων σὺν ἱπποῖς VIII 1,8. ἐφείποντο σὺν παλτοῖς VIII 3,15.		ἦλθον χρήματα ἄγοντες VI 2, 1. πέλεκυν ἔχοντας στρατεύεσθαι VI 2,36. σημεῖον ἔχων ἡγήτο VI 3,4. ἀντέξελθε χιλιοστὴν λαβὼν VI 3,13. ἴωμεν ἄρματα ἔχοντες VI 4,16. ἱππικὸν ἔχων συμπαραέποι· VII 1,8. ἄγων στρατεύμα ἦλθε VII 4,3. ὅπλα ἔχοντας ἔπεσθαι VII 4,11. ὠρμάτο ἄγων ἀμάξας VII 4,12. σφενδόνας ἔχοντας ἔπεσθαι VII 4,14. ἀφίκετο ἱππέας ἔχων VII 4,16.
27	2	56

Cyri Expeditio.

cum praepositione. cum dativo. cum participio.

μετὰ ἄλλων ἐξελαύνει I 2,20. ἀριππεύει σὺν ὀλίγοις I 5,12. σὺν παροῦσιν ἦκεν I 5,15. ἦξει σὺν στρα- τεύματι I 7,1. σὺν στρατεύματι προσέρχεται I 8,1. παρελαύνων σὺν Πιγρητι I 8,12. ἔρχεται σὺν ἱππεύσιν III 3,1. ῥῆχτο σὺν ἀν- θρώποις III 3,5. σὺν πολλῇ δώμῃ } III ἦλθον } 3,14. σὺν ὀλίγοις ἦλθον }	ὀλίγῳ στρατεύ- ματι ἐφέ- πεσθαι II 2,12. ῥῆ Κῦρος ἀνέβη ξενικῷ τούτῳ ἐμὲ κατα- βῆναι II 5,22. τῷ στρα- τεύματι ἦξι VII 8,21.	ἀναβαίνει λαβὼν Τισσαφέρην I 1,2. ἔχων ὀπλίτας ἀνέβη I 1,2. λαβόντα ἀνδρας παραγενέσθαι } I 1,11. " " ἐλθεῖν } λαβόντι ἦκειν στρατεύμα I 2,1. ἦκειν λαβόντα ἄλλους I 2,1. λαβὼν παρεγένετο ὀπλίτας I 2,3. πορεύεται ἱππέας ἔχων I 2,4. ἔχων οὗς εἰρηκα ὠρμάτο I 2,5. ἦκε . . ὀπλίτας ἔχων I 2,6. " . . " " I 2,9. λαβὼν ὑμᾶς ἐπορευόμεν I 3,4. ἀπήλυνεν ἔχων λ' μυριάδας I 4,5. λαβὼν Θυρῆας ἤλυνεν I 5,13. ἦξι ἔχων ἱππέας I 6,3. ἔφυγεν ἔχων στρατεύμα I 9,31. ἔχων ἱππέας ἠντομολόγησε II 2,7. ἔχων στόλον πορεύεσθαι II 2,12.
---	---	--

cum praepositione. cum dativo.

cum participio.

σὺν ὀπισθοφύλαξιν
εἶπετο IV 1,6.
σὺν λοιποῖς
ἐπορεύετο IV 2,13.
σὺν νεωτάτοις
ἀνέβαινεν IV 2,16.
σὺν ὀλλοῖς
ἐπιδιώξαι IV 3,25.
συνεισέρχονται σὺν ὕδρο-
φόροις IV 5,10.
ἐφείπετο σὺν
ὀπλίταις IV 6,25.
ἦλθε σὺν ὀπισθο-
φύλαξι IV 7,3.
διαβάς σὺν λοχαγοῖς V 2,8.
ἐξιέναι σὺν ὀπλοῖς VI 5,3.
σὺν ἡμίσεσιν
ἐπιόησιν VI
σὺν διπλασίους 5,17.
ἀποχωροῦσιν
ἐξιόντες σὺν ὑποζυγίοις
VI 6,1.
ἡγήσομαι σὺν
ἵπποις VII 3,36.
σὺν ὀλλοῖς πορευ-
όμενος VII 3,41.
Σεύθης ἦκε σὺν
ἵππεσιν VII 4,19.
ἔρχεται σὺν
δυνάμει VII 4,21.
ἐλθὼν σὺν
τριήρεσιν VII 6,13.
ἀπιέναι σὺν
στρατεύματι VII 6,44.

προῆλθε τοὺς εὐοπλιστάτους ἔχων II 3,3.
ἦκοιεν ἡγεμόνας ἔχοντες II 3,6.
βοήθειαν ἔχων ἀφικόμεν II 3,19.
ἦκε . . ἔχων δύναμιν II 4,8.
ἐλθοιμι θεράποντας ἔχων III 3,2.
διέβαινε . . ἔχων δύναμιν III 4,3.
οὗς ἦλθεν ἔχων III 4,13.
οὗς ἔχων ἀνέβη III 4,13.
λαβόντα πελταστὰς παραγενέσθαι III 4,38.
(ἀσπίδα) ἔχων ἐπορεύετο III 4,48.
ἡγεῖτο λαβὼν γυμνήτας IV 1,6.
εἶπετο οὐδένα ἔχων γυμνήτα IV 1,6.
ἔχοντες γυναικας ἔφευγον IV 1,8.
δυνατώτατα (sc. τῶν ὑποζυγίων)
ἔχοντας πορεύεσθαι IV 1,12.
ἔχοντες ἐγχειρίδια διαβαίνειν IV 3,12.
προσῆλασεν ἱππέας ἔχων IV 4,5.
παρηκολούθει ἔχων δύναμιν IV 4,7.
ἐπορεύοντο ἔχοντες ἡγεμόνα IV 4,19.
ἔρχεται ὀπλίτας ἔχων IV 6,20.
ἐλθεῖν τριήρεις ἔχων V 1,4.
ἦξει πλοῖα ἄγων V 1,10.
ᾤχετο ἔχων τὴν ναῦν V 1,15.
ἐπεξέθεον γέρεα ἔχοντες V 2,22.
ἦκεν ἄγων ἄρχοντας V 4,3.
ἦκον ἄγοντες πλοῖα V 4,11.
ἦλθε τριήρη ἔχων VI 1,15.
τριήρεις ἔχων ἦξιν VI 2,13.
στρατεύεσθαι ἔχοντι
παραμείναντας VI 2,15.
πλοῖα λαβὼν ἀποβαίνει VI 2,19.
ἔχων ἱππέας προελαυνέτω VI 3,14.
οἱ ἱππεῖς ἔχοντες ἡγεμόνας
ἐλάνθανον . . γενόμενοι VI 3,22.

cum praepositione. cum dativo.

cum participio.

ἔλθοι σὺν τῷ ἀνδράσι VII 8,9.		ἤξειν πλοῖα ἔχων	VI 4,18.
		πλοῖον ἦκεν ἄλφριτα ἄγον	VI 5,1.
		ἔχων ἱππέας ἐφείπετο	VI 5,28.
		ἀφικνεῖται β' τριήρεις ἔχων	VI 6,5.
		ἀπέδρα πεντηκόντορον ἔχων	VI 6,5.
		ἀπῆλθον ἔχοντες τῷ ἀνδρὶ	VI 6,35.
		λαβόντας τὰ ὄπλα ἐξιέναι	VII 1,7.
		ἔχων τὰ ἱερεῖα ἦκε	VII 1,37.
		ἀφικόμενος ἔχων β' τριήρεις	VII 2,12.
		εἰσελθεῖν ἔχοντα β' . .	VII 2,23.
		εἰσῆλθεν ἵππον ἔχων	VII 3,26.
		ἐφύετο ἵππους ἔχων	VII 3,39.
		(ῥῆτο) ἔχων ἱππέας	VII 3,46.
		ἔχων ἱππέας προσελάσας	VII 3,47.
		ἦκε σάλπιγγτήν ἔχων	VII 4,19.
		παρέρχεται λαβὼν στρατηγούς	VII 5,11.
		ἐπορεύετο λοχαγούς λαβὼν	VII 8,11.
		ἐκβοηθοῦσιν . . ἔχων δύνανται	VII 8,15.
		ἐξέρχεται ἔχων δύνανται	VII 8,17.
29	4	68	

Priusquam ad interpretationem harum tabularum¹⁾

¹⁾ Propter amplissimam copiam et verborum et locorum, quae apud Thucydidem inveniuntur, non omnia eiusmodi verba omnesque locos promiscue composui, sed aptius esse arbitratus sum Thucydidis tabulas singulorum verborum secretas componere. Eadem de causa mihi pro consilio ac ratione huius commentationis numerum definitum illorum eligendum esse putavi. Sic ea verba elegi, quae saepissime a Thucydide adhiberi mihi visa sunt, eorumque duodecim collegisse satis habui: αἶρειν, quod intransitive usurpatum significat „proficisci“ vel de navibus dictum idem quod ἀνάγεσθαι „naves solvere“, tum ἔρχεσθαι, ὀρμαῖσθαι, παραγίγνεσθαι, πλεῖν cum verbis compositis ἐκπλεῖν, παραπλεῖν, προσπλεῖν, tum πορεύεσθαι, χωρεῖν verbumque compositum ἀνα-

progredior, praemoneo tabulas nullo modo ita describi potuisse, ut sola verba et numeri locorum exhiberentur, sed eos locos, de quibus agitur, breviter mihi describendos esse putavi ea causa commotus, quod intellexi nonnullos eorum interpretatione indigere et lectori numeris tantum indicatis nihil utilitatis offerri, cum singulos locos examinare opus sit. „Verba comitatus“, ut breviter loquerer, dixi; conferenda his tabulis non illa verba, sed modi diversi sunt, quibus illis substantiva adiunguntur. „Venio cum aliquo“ sermone Graeco his modis dicitur: I. ἔρχομαι σὺν τινι, μετὰ τινος, II. ἔρχομαί τινι, III. ἔρχομαι ἔχων (λαβὼν, ἄγων) τινά. Quos illorum modorum et quotiens scriptor secutus sit, id his tabulis ostendere volo.

In A usus dativi post illa verba longe praevallet, secundum locum verba cum participio iuncta tenent, rarissime praepositiones inveniuntur. Prorsus diversum genus dicendi in B observatur. Hic longe saepissime verba comitatus participiis cum substantivis coniunguntur, paulo rariores sunt praepositiones, dativus denique paene disparuit. Imprimis autem id respiciendum esse arbitror, quod frequentia dativi et praepositionis in duabus illis partibus prorsus contraria est (quod idem ex tabula VIII cogno-

χωρεῖν. — Tum nonnulla dicenda sunt de ratione, qua tabulas composui; Participia λαβὼν et ἔχων in tabulas non recepi nisi ubi meram notionem comitandi habent; sic exempli gratia locos Hist. Gr. II 4, 2 et Cyr. Instit. VI 3, 3 omisi, quod iis locis participia λαβόντες et ἔχοντες non vim comitandi, sed verborum λαμβάνειν et ἔχειν naturam ac notionem propriam habent. In numero locorum, quibus dativum invenimus, eos neglexi, quibus dativus minus vim comitatus quam instrumenti prae se fert. Denique in numero locorum, quibus praepositiones inveniuntur, eos omitteudos esse putavi, quibus homo aliquis una cum aequali aut superiore vel potentiore ire narratur, ea de causa, quod illius generis locis nihil aliud nisi σὺν vel μετὰ usurpari potest. Omnino in locis eligendis accuratissime id mihi spectandum erat, ut eos modo locos in tabulas reciperem, quibus scriptori plena libertas esset, quem trium illorum modorum dicendi sequi vellet.

vimus): in A praepositiones rarissime, dativi saepissime usurpantur — in B plane contrarium usu venit. Quod discrimen usu dicendi ceterorum scriptorum mirum in modum confirmatur ac fulcitur: nam in Institutione et Expeditione usus praepositionis amplissimus est, cum dativus paene nunquam inveniatur, apud Thucydidem usus dativi longe praevalet, praepositionem autem in toto illius opere non plus quinque invenias. Quin etiam usum Thucydidis partisque A conferentes videmus apud Thucydidem usum dativi ampliorem esse quam apud Xenophontem. Nonne facillime adducimur, ut existimemus eam rem eo explicari, quod Thucydides aliquanto prior aetate est Xenophonte? Ceterum eae tabulae, de quibus dicimus, non solae sunt, quae id doceant; commonefacio de tabulis XII et XIII, quae ipsae quoque ostendunt eum usum dicendi, quo pars A a parte B differabat, apud Thucydidem vel frequentiore esse. Ab hac parte illud latius persequi a proposito nostro alienum est, sed ad historiam linguae Graecae illustrandam eiusmodi observationes summi momenti esse existimo.

XV.

Ultimo loco ¹⁾ dicendum est de compluribus vocibus seu locutionibus, quae in singulis operibus singulares seu rariores inveniuntur. Etiam ex his comparandis aliquid colligere licet ad usum dicendi singulorum scriptorum intellegendum ea quidem ratione, ut scriptorem loco quarundam vocum alterius scripti in altero alias adhibuisse demonstretur. Iam ad singulas voces pauca adnotabo ac primum quidem de iis dicam, quae singulares inveniuntur in A.

Locis quibusdam partis A vocabulum σώματα non „corpora“, sed plane „viros“ seu „homines“ significat: II 1,19: τὰ δὲ ἐλείθερα σώματα πάντα ἀφῆκε Ἀίσανδρος; simili modo I 1, 24. Talis usus vocabuli σώματα in B non invenitur.

¹⁾ Cum hoc in capite, quoniam de singulorum operum vocibus singularibus agitur, in rem non esse visum esset voces tabula componere, locos, quibus voces inveniuntur, ubicumque opus esse videbatur, inter verba ipsa addidi.

Vox ἐπιβάτης I 3, 17 significat „adiutor et vicarius“, idem quod aliis locis ἐπιστολεύς valet. Quam notionem verbum ἐπιβάτης hac via acceperit: ἐπιβάτης proprie significat hominem, qui ἐπὶ i. e. praeter alios navem ascendit, alio ut dicam verbo, eos homines navis, qui in numero eorum non habentur, qui navem administrant. Cuius generis homines sunt primum meri vectores i. e. ii, qui negotiorum faciendorum causa nave vehuntur, tum etiam milites gravis armaturae, qui pugnarum committendarum causa in nave sunt. Nonnullis scriptorum Graecorum locis, ex quibus unum supra attuli, vocabuli ἐπιβάτης notio magis definita est: significat idem quod ἐπιστολεύς, nempe legatum seu adiutorem et vicarium. Nam legatus, qui duci classis additus est, nullo modo in nave regenda versatur, dum dux ipse superest. Cum in pugnis navalibus non raro accideret, ut dux classis vulneribus confectus munere fungendo prohiberetur aut morte absumeretur, maxime intererat legatum in nave ducis versari, ut omni tempore in eius locum succedere posset.

In B ἐπιστολεύς tantummodo invenimus: IV 8, 11; V 1, 5. 6. Memorabile est vocem ἐπιβάτης i. e. vicarius in Thucydidis ultimo libro legi, loco VIII 61: *Λέοντά τε ἄνδρα Σπαρτιάτην, ὃς Ἀντισθένι ἐπιβάτης ξυνεξήλθε.*¹⁾ Nonne facillime in opinionem adducimur Xenophontem ea de causa, quod Thucydidis opus continuare voluit prima parte operis sui, etiam e sermone eius quaedam rariora recepisse? Cuius rei certissimum argumentum id est, quod Xenophon in A notissimum Thucydidis morem annorum singulorum definiendorum imitatus est; atque etiam ex tabulis nostris Xenophontem in A vocibus usum esse identidem intelleximus, quae in ipso opere Thucydideo usitatae erant. Quae cum ita sint, nonne ex ea re, quod Xenophon vocem ἐπιβάτης in prima parte operis adhibere non dubitavit, postea diligentissime evitavit, nobis colligere licet eos libros,

¹⁾ De hoc loco conferas Schoemannum, Antiqu. Gr. I 294 et Classenium ad Thucyd. VIII 61.

www.libtool.com.cn

in quibus illam vocem evitat, alio animo et alio tempore conscriptos esse?

ἡμεροσκόπος (I 1, 2) i. e. explorator diurnus. In B scriptor nihil nisi σκοπός scribit, quamquam id utroque loco, quo invenitur, nihil aliud atque ἡμεροσκόπος est: III 2, 14: ἐξαίφνης ὄρῳσιν ἐκ τοῦ ἀντιπέρας σκοποῦς ἐπὶ τῶν μνημάτων; V 1, 27: ὁ δὲ Ἀνταλκίδας, ἐπεὶ αὐτῷ οἱ σκοποὶ ἐσήμεναν . . ., ἐνήδρευν. Etiam hoc vocabulum ἡμεροσκόπος, quoad perscrutandi mihi facultas erat, tantummodo apud scriptores antiquioris aetatis repperi, apud Aeschylum, Sept. v. 66, Herodotum VII 182 et 192, Sophoclem, Antig. v. 253, Aristophanem, Av. 1174. Cum ex quattuor illis scriptoribus tres poetae sint, suspicari licet vocabulum ἡμεροσκόπος maiore ex parte in poetarum usu, utique antiquioris aetatis proprium fuisse.

Transimus ad voces singulares partis B. ἀντίπαλος i. e. πολέμιος in B nonnumquam (III 5, 23. IV 2, 14. 8, 26) iuxta πολέμιος usurpatur, contra in A, quamvis multa de bellis et hostibus narrata sint, nihil nisi πολέμιος invenimus: I 1, 7. 14. 15. 22. 2, 18. 3, 19. 21. 5, 20. 6, 3. 9. 20. 38. 7, 5. 28 bis. 29 bis. 31. II 1, 2. 25.

ἐπικουρεῖν in B praeter βοηθεῖν legimus IV 8, 4, in A ne semel quidem, quamvis saepe βοηθεῖν positum sit: I 1, 4. 26. 2, 2. 3. 5. 6. 8. 9. 16. 3, 6. 21. 5, 13. 6, 19. 21. 22. 24. II 1, 28.

φρουρὰν φαίνειν. Hanc locutionem in B persaepe (III 2, 23. 25. 5, 6. IV 2, 9. 7, 1. 2. V 1, 29. 36.), in A nunquam invenimus. Ad Hist. Gr. III 2, 23, quo loco primum φρουρὰν φαίνειν legitur, L. Breitenbachius editor haec adnotat: „φρουρὰν ἔφηναν] formula laconica: exercitum educere, quam significationem apud Atticos certe verbum φαίνειν non habet.“ Hanc interpretationem equidem non comprobaverim. Nam locos inspicientes, quibus φρουρὰν φαίνειν legitur, cognoscimus plurimis locis (III 2, 23. 25. 5, 6. IV 2, 9. V 3, 13. 4, 47. VI 4, 17. 5, 10) formulae φρουρὰν φαίνειν subiectum esse οἱ ἔφροροι. Sed cum ephoros nun-

quam exercitum Lacedaemoniorum in bellum duxisse inter omnes constet, apertum esse mihi videtur verbum *γαίρειν* „educere“ et vocabulum *φρουράν* „exercitum“ significare non posse. Rem ita se habere existimo: *φρουρά* non verbum concretum, sed abstractum est et significat „profectio copiarum in bellum facienda“, itemque *γαίρειν* significare non potest „educere“, sed potius „indicere“. Nam constat Spartae ephorum fuisse expeditionem indicere, numerum militum constituere, duces exercitus, qui plerumque reges fuerunt, dicere.¹⁾

Quod attinet usum dicendi partis A, concedo non facile locos inveniri, quibus locutionis *φρουράν γαίρειν* adhibendae occasio fuerit, neque certo scio, num Xenophonti II 2, 7: *Λακεδαιμόνιοι δ' ἔειπεν πανδημί* illa locutione uti licuerit. Attamen equidem persuasum habeo eum, etsi illa facultas saepe ei fuisset, tamen locutionem *φρουράν γαίρειν* non adhibiturum fuisse. Cuius rei argumentum hoc affero. Neque in opere Thucydideo neque apud Herodotum *φρουράν γαίρειν* exstat: quoniam tot locis demonstratum est et demonstrabitur Xenophontem in A Thucydidem ut magistrum secutum esse, num quis erit, qui putet illum adeo a Thucydidis genere dicendi alienum fuisse, ut locutionem rarissimam in A poneret? Nunc reminiscamur illam vocem, de qua loquimur, Doricam esse: nonne probabile est id ipsum, quod Xenophon tam longum per tempus apud Lacedaemonios versatus est, effecisse, ut vox Dorica *φρουράν γαίρειν*, quam audire cotidie ei licebat, in usum eius veniret, neque ipse dubitaret eam, quamquam Atheniensis erat, in scriptis suis adhibere? Quae si recte disputata sunt, nonne inde colligendum est et eam Historiae Graecae partem, in qua vox illa Dorica saepe legitur, a Xenophonte, postquam longum per tempus apud Lacedaemonios versatus vocibus sollemnibus eorum

¹⁾ Cf. O. Mueller, Die Dorier II 117 sq. Schoemann, Antiqu. Gr. I 248.

usurpandis assuevit, scriptam esse et illam operis partem, in qua vocem *φρουρὰν φαίνειν* non magis novisse videtur quam Thucydides Herodotusque, priore, certe diverso tempore conscriptam esse?

ἐγκλίνειν. Hoc verbum in universum a scriptoribus rarius usurpatur. Pars A eo omnino vacat, in B crebrius (II 4, 34. III 4, 24. IV 4, 17. 5, 16. 17. 6, 11 bis) legitur. Vis eius verbi est „cedere“, sed interdum loco verbi *φεύγειν* usurpatur. Sic II 4, 34: οἱ μὲν ἐξεώσθησαν εἰς τὸν . . . πηλόν, οἱ δὲ ἐνέκλιναν. Ex iis, quae sequuntur: ὁ δὲ Πανσανίας τροπαῖον στησάμενος ἀνεχώρησε efficitur verbum *ἐγκλίνειν* eo loco pro *φεύγειν* usurpatum esse. Idem ex loco IV 6, 11 intellegitur. Ergo rursus videmus Xenophontis verborum copiam in B prolixiorem esse quam in A. Idem dicendum est de verbo *διαπίπτειν*, quod idem fere significat quod verbum *ἀποδιδράσκειν* vel potius *ἐκφεύγειν*. Etiam *διαπίπτειν* ne uno quidem partis A loco legitur, cum in B praeter ea, quae nominavi, verba saepius inveniatur (III 2, 4. IV 3, 18. 19 bis).

ἐτρέπην et *ἐτρέφθην*. In A verbi *τρέπειν* solus aoristus *ἐτρεψάμην* legitur, in B autem praeterea formae aoristi passivi *τραπῆναι* et *τρεφθῆναι* inveniuntur (III 4, 14. 5, 20. V 1, 12).

ἀναπεπλευκέναι. (IV 8, 36) In A, quae rebus in mari gestis referta est, nihil nisi *ἀνάγεσθαι* invenis.

βουθυτεῖν et *σφαγιάζεσθαι* in B praeter *θύειν* et *θύεσθαι* usurpantur (IV 3, 14. III 4, 23; IV 2, 20; 6, 10), in A solum *θύειν*.

γυμνήτες et *πελτασταί* in B (*γυμν.* II 4, 25. IV 2, 14; *πελτ.* saepissime), in A solum *πελτασταί*. De his verbis conferas quaeso ea, quae infra p. 72 sq. explicui. *δαπανᾶν* in B legitur IV 8, 10 et IV 8, 14. Verbum *ἀναλλοκεῖν*, quod in A solum invenitur (I 5, 4 et II 1, 11), in B semel positum est: IV 2, 7. Apertum est scriptorem in A *ἀναλλοκεῖν*, in B *δαπανᾶν* praetulisse.

Usum Cyri Institutionis perlustrantes intelleximus nihil esse, quin mirum in modum cum usu dicendi partis B concinat eaque ipsa de causa usui partis A repugnet. Sic repperi cum alias voces tum has: ἀντίπαλος (quater), γυμνήτες (semel), δαπανᾶν (ter decies), ἐγκλένειν (semel), ἐπικουρεῖν (quater), σκοπός (sexies). Nonnulla addenda sunt ad verbum παρεγγυᾶν (II 3, 21. III 2, 8. 3, 42. 58. 62. 69. IV 1, 3 bis. V 3, 45. VI 3, 7. VII 1, 4. 10. 5, 17). Verbum παρεγγυᾶν i. e. edictum tradere ei, qui propter aliquem in acie stat, quin vox sollemnis fuerit in usu Lacedaemoniorum dubitari nequit. Xen. Resp. Lac. 11, 4: ἐκ δὲ τούτων τῶν μορῶν διὰ παρεγγυήσεως καθίστανται τότε μὲν εἰς ἐνωμοτίας, τότε δὲ εἰς τρεῖς, τότε δὲ εἰς ἕξ. Ibid. § 5: εἰσὶν μὲν γὰρ ἐν τῇ Λακωνικῇ τάξει οἱ πρωτοστάται ἄρχοντες καὶ ὁ σίχλος ἕκαστος (sc. propterea quod edicta παρεγγυᾶσι ceteris). Ibid. § 8: ἐὰν δ' ἐν τῷ τοιούτῳ ἐκ τοῦ ἐναντίου πολεμία φάλαγξ ἐπιφανῇ, τῷ ἐνωμοτάρχῃ παρεγγυᾶται εἰς μέτωπον παρ' ἀσπίδα καθίστασθαι. Ad verbum παρεγγυᾶν explicandum Haasius (ad Xen. Remp. Lac. p. 208) haec affert: „Non solebant in Spartanorum exercitu ducis imperia classico aut signis denuntiari, quoniam id facile etiam hostes sentiebant, sed voce quasi per manus tradi, ita ut milites suo quisque παραστάτῃ et ἐπιστάτῃ quae facere iuberentur nuntiarent.“ Quibus locis efficitur verbi παρεγγυᾶν eam, quam dixi, notionem in usu Lacedaemoniorum fuisse. Quodsi illud verbum et in B et in Institutione invenimus, primum ex ea re sequitur Xenophontem, cum utrumque scriptum componeret, voces Doricas iam funditus didicisse, i. e. eodem tempore, quo exempli gratia formulam φρουρὰν φαίνειν saepe adhibuit. Sed ultra inquirentes si consideramus Xenophontem in Institutione verbum παρεγγυᾶν non de Spartanis, sed ad alias gentes relatum usurpare, inde nobis colligendum est Xenophontem illo tempore adeo sermoni Dorico assuevisse, ut non dubitaret ea verba, quae rei militaris Spartanorum propria cognoverat, ad alias gentes referre. Itaque gravissimum

argumentum rei nostrae confirmandae in eo positum est, quod verbum *παρεγγυᾶν* et in B et in Institutione occurrit, in A non item.

Vocabulum *πρωτοστάτης* (III 3, 41. 57 al.) in B quoque invenitur, cum in A non exstet, eundem in modum verba *σφροονίζειν* (VIII 6, 16) i. e. „castigare, punire“ et *εὐτρεπίζειν* (VI 2, 41) i. e. sibi comparare. De verbis *ἀποδεκτῆρες* (VIII 1, 9) et *δοτῆρες* (VIII 1, 9) lectorem ad ea delego, quae infra ad vocabulum *ἀρμοστήρ* adnotavi (p. 78 sq.).

Nec non ex Cyri Expeditione perspeximus usum dicendi illius libri partisque B parem esse: exceptis vocibus *ἀντίπαλος* et *φρουρὰν φαίνειν* nullum verbum est, nulla locutio, quin utrique scripto communis sit. Verbum *ἐκκλίνειν* (I 8, 19) non plane idem est quod *ἐγκλίνειν*, quod saepe in B legi vidimus, sed illius simillimum et eadem fere ratione usurpatur qua illud. Voces *πεντηκοντῆρες* (III 4, 21), *πεντηκοστὺς* (III 4, 22), *ἐνωμόταρχος* (III 4, 21), *ἐνωμοτία* (III 4, 22) Doricas esse constat. De exitu vocabuli *πεντηκοντήρ*, quod idem est quod *πεντηκοστής* i. e. dux *πεντηκοστὺς*, lectorem delego ad ea, quae infra ad vocem *ἀρμοστήρ* dicta sunt (p. 78 sq.). Quod attinet usum vocum illarum Doricarum, conferas quaeso, quaecumque supra ad voces *παρεγγυᾶν* et *φρουρὰν φαίνειν* disserui. Ultimo loco de vocibus *πελταστής* et *γυμνής* (*πελτ.* saepissime, *γυμν.* I 2, 3. III 4, 26. IV 1, 6 bis. 27. 6, 17. 20 bis. V 2, 12. VI 3, 15) nonnulla addam. *Πελταστής* et *γυμνής* in usu dicendi notionem „miles levis armaturae“ adepta sunt, quamquam per se diversas notiones habent. Nam *πελταστής* miles est, qui *πέλτη* exornatus in bellum proficiscitur, *γυμνής* nihil aliud valet nisi „miles armaturae experts“, significat igitur idem fere quod *ψιλός*. Vocum igitur illarum altera alteri militum generi attribuenda videtur. Sed Xenophontem utramque admodum promiscue usurpare ex hoc Expeditionis loco apparet VI 3, 14 (17) sqq.: *ἕως δ' ἂν πορευώμεθα, Τιμασίῳ ἔχων τοὺς ἱππέας προελαινέντω*.

ἐφορῶν ἡμᾶς καὶ σκοπεῖτω τὰ ἔμπροσθεν, ὥς μηδὲν ἡμᾶς λάθῃ. Ταῦτ' εἰπὼν ἤγειτο. παρέπεμψε δὲ καὶ τῶν γυμνήτων ἀνθρώπους ἐδζώνους εἰς τὰ πλάγια καὶ εἰς τὰ ἄκρα, ὅπως εἴ ποῦ τί ποθεν καθορῶεν, σημαίνοιεν. ἐκέλευε δὲ κάειν ἅπαντα διαφ' ἐντυγχάνοιεν κανσίμῳ. οἱ δὲ ἱππεῖς σπειρόμενοι ἐφ' ὅσον καλῶς εἶχεν ἔκαον, καὶ οἱ πελτασταὶ ἐπιπαριόντες κατὰ τὰ ἄκρα ἔκαον πάντα . . .

Luce clarius ex hoc loco apparet Xenophontem eosdem homines, quibus supra nomen γυμνήτες attribuit, loco paulo inferiore πελτασταὶ appellare. Vidimus in A nihil nisi πελτασταὶ legi, cum in B praeterea verbum γυμνήτες usurpetur, cuius partis usus sermone et Institutionis et Expeditionis confirmatur. Cui rei si id addiderimus, in toto Thucydidis opere ne uno quidem loco vocabulum γυμνήτες positum esse, cum plurimis verbum πελτασταὶ exstet, nonne facillime adducimur, ut verbum γυμνήτες scriptoribus (Atticis) posterioris demum aetatis in usum venisse persuasum habeamus? Quod si ita se habet, iis, quae paulo ante disputata sunt, gravissimum argumentum adipiscimur, quo apparet partes A et B omnino non uno tempore compositas esse.

Iis, quae ad tabulas explicandas dicenda erant, absolutis unum nobis genus verborum relinquitur. Distuli ad ultimam quaestionis partem, non quo vocibus adhuc tractatis non conveniret, sed quia propriam et longiorem disputationem poscit. De iis vocibus dico, quibus imperatores, legati, centuriones ceterique duces militum appellantur. Sed priusquam de singulis exponam, omnes voces, de quibus in hac quaestione agitur, componam.

Voces, quibus imperatores, legati, centuriones etc. appellantur.

A.

I. *ναῖαρχοι* omnes Lacedaemonii sunt exceptis his: *νανάρχων* I 6, 29 et I 7, 30.

II. *ἀρμωσταὶ* appellantur soli Lacedaemonii.

- III. *ταξίαρχοι* soli Athenienses sunt.
- IV. *λόχος*. I 2, 3 *λόχοι* Atheniensium commemorantur.
- V. *τριήραρχοι*, quod attinet gentes, promiscue usurpatur.

B.

- I. *ναύαρχοι* Lacedaemonii sunt his exceptis: IV 3, 11. IV 8, 10. V 1, 5.
- II. *ἀρμοσται* soli Lacedaemonii appellantur loco IV 8, 8 excepto.
- III. *ταξίαρχοι* omnes Lacedaemonii sunt.
- IV. *λόχος*, qui nominatur (IV 2, 5), Lacedaemoniorum est.
- V. *ἑπαρχοι* omnes Athenienses sunt eo excepto, qui IV 2, 5 nominatur Lacedaemonius.
- VI. *ἑπαρμοσται* Lacedaemonii sunt.
- VII. *πολέμαρχοι* omnes Lacedaemoniorum sunt, item *πεντηκοντῆρες*, *ξεναγοί*.

In his vocibus conferendis non solum id agitur, ut statuamus, quam scriptor in A, quam in B posuerit aut non posuerit, sed etiam, ut ostendamus, num in utraque parte easdem voces eidem populo tribuerit. Id vero hoc modo intellego. Constat singulos Graeciae populos in re militari et copiis distribuendis atque instruendis et ducibus appellandis maxime inter se discrepuisse. Nam prout singulorum ars bellica et res militaris orta et progressa est, sic singula rei militaris genera excoluerunt atque in illis appellandis suas sibi proprias voces creaverunt. Supra demonstravi spatio temporis, quod Xenophon apud Lacedaemonios ex Asia redux degit, factum esse, ut vocibus sollemnibus rei militaris Spartanorum omnino assuesceret. Qua re accidit, ut etiam voces rei militaris suorum civium prae vocibus Lacedaemoniorum paene in oblivionem recederent, et scriptor quamvis de aliis gentibus loqueretur, nonnumquam vocibus Spartanorum sponte uteretur. Quod factum esse si continget nobis ut demonstremus, certissimum et gravissimum argumentum nanciscemur, quo appareat

illam partem, in qua scriptor voces Laconicas pro vocibus aliarum gentium substituit, alio tempore conscriptam esse atque eam partem, in qua illud factum esse demonstrari nequit.

Iam transeo ad singulas voces tractandas et primum quidem de nomine *ναύαρχος* dicam. Dubitari non potest, quin *ναύαρχος* neque apud Athenienses in usu publico fuerit et apud Lacedaemonios nomen publicum ducis navium fuerit. Ac re vera in A omnibus locis, quibus illa vox invenitur, de hominibus Lacedaemoniis scriptor loquitur his duobus exceptis: I 6, 29, ubi exponitur, quomodo acies Atheniensium ante pugnam apud Arginusas insulas commissam instructa fuerit, legimus: ἐχόμεναι δὲ αἱ τῶν ταξιάρχων δέκα (sc. νῆες), καὶ αὐταὶ ἐπὶ μιᾷ· ἐπὶ δὲ ταύταις αἱ τῶν ναυάρχων τρεῖς καὶ εἴ τινες ἄλλαι ἴσαν συμμαχίδες. In insequente capite § 30 de iisdem navibus dicitur τὰς τῶν ναυάρχων τρεῖς. Quid his locis sibi volunt οἱ ναῖ-αρχοι? De vocabulo ipso dubitatio nulla esse potest, cum mirum in modum duobus locis consensu omnium librorum manuscriptorum *ναύαρχος* traditum sit. Conari igitur debemus ea, quae tradita sunt, interpretari. Hoc certissimum est, illis locis vocem *ναύαρχοι* id significare non posse, quod valet apud Lacedaemonios, „summus dux classis“, primum quidem ea de causa, quod scriptor de compluribus *ναυάρχους* dicit, tum quod constat apud Athenienses decem praetores (*στρατηγοί*) classi quoque praefuisse; ex illorum numero I 6, 29 singuli duces nominatim appellantur locusque indicatur, quem quisque obtineat; nominantur autem duces numero octo. Itaque omnino fieri non potest, ut illos *ναυάρχους*, quibus tres modo naves erant, duces Atheniensium interpretemur. Ne editoribus quidem Historiae Graecae constat, quomodo illi loci interpretandi sint; ex eorum numero L. Breitenbachium affero, qui ad I 6, 29 haec adnotat: „τῶν ναυάρχων] Qui sint hic et I 7, 30, ambiguum est. L. Herbstius (D. Schl. b. d. Arg. p. 30) trium navium publicarum duces esse putat, non respiciens VI

2, 14, unde certissime colligendum, praeter Paralum et Salaminiam anno certe 373 tertiam navem publicam nondum habuisse Athenienses.“ Alia causa, cur illud verbum difficultates nobis paret, in eo posita est, quod apud Athenienses singulis navibus *τριήραρχοι* praeerant; qua re Xenophon commotus sit, ut ipsos illos *τριήραρχους* nomine *ναύαρχων* appellaret, nobis plane obscurum est. Quoquo modo res se habet, id unum certissime me demonstravisse spero, duobus illis locis vocem *ναύαρχοι* nullo modo id valere, quod vox *ναύαρχος* ad Lacedaemonios relata valet, nempe summum classis ducem. Ergo nihil obstat, quin dicam Xenophontem in A vocem *ναύαρχος* i. e. „summus classis dux“ nonnisi ad Lacedaemonios rettulisse.

In B omnes *ναύαρχοι* Lacedaemonii sunt tribus exceptis. Primum disputandum est de loco IV 3, 11: *εἶναι μὲν γὰρ περὶ Κνίδον ἰὸν ἐπίπλουιν ἀλλήλοις, Φαρνάβαζον δὲ ναύαρχον ὄντα σὺν ταῖς Φοινίσσαις εἶναι, Κόνωνα δὲ τὸ Ἑλληνιζὸν ἔχοντα τετάχθαι ἔμπροσθεν αὐτοῖ.* Hoc loco scriptor brevissime et per orationem obliquam narrat, quomodo pugna navalis apud Cnidum commissa sit et quomodo utraque acies instructa fuerit. Satis memorabile est Xenophontem duci Persarum nomen *ναύαρχον* dare, quo munus publicum Lacedaemoniorum nominari solebat; nam facillime dicere potuit, ut aliis locis, velut *Φαρνάβαζον τῶν Φοινισσῶν ἡγεῖσθαι* seu *προεστάναι* seu *ἄρχειν* vel *Φαρνάβαζον τὰς Φοινίσσας ἔχειν* seu *ἔχοντα τετάχθαι*, qua formula paucis verbis post de Conone utitur. Illius rei eam fortasse, quam supra explicui, causam esse putare licet, sed certum argumentum ex eo nobis non nascitur, quod *ναύαρχος* non vox Dorica, sed communis sermonis Graecorum est. — IV 8, 10 legimus: *οἱ . . . Κορίνθιοι . . . ναῦς πληρώσαντες καὶ Ἀγαθῖνον ναύαρχον ἐπιστήσαντες ἐθαλατοκράτου.* Certum argumentum ne hic quidem locus nobis exhibet, sed hic res paulo manifestior est propter ea, quae sequuntur: *ἀντεπλήρωσαν δὲ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι ναῦς, ὧν Ποδάμεος ἦρχεν.* Quamquam ea formula idem quod *ναύ-*

www.libtool.com.cn

αρχος significat, tamen memorabile est scriptorem vocem ναύαρχος ipsam non de Lacedaemoniis, sed de alia gente adhibuisse. Sed admodum diversus tertius locus est. V 1, 5 legimus: οἱ Ἀθηναῖοι πάλιν αὐτὰ πράγματα εἶχον . . . καὶ ἀντιπληροῦσι ναῦς τρισκαίδεκα, καὶ αἰροῦνται Εὐνομον ναύαρχον ἐπ' αὐτάς. Apertum est eo loco Xenophontem navium duci Atheniensium nomen ναύαρχον dare, quamquam certissime constat apud illos munus ναύαρχον omnino non fuisse. Sed etiamsi ex verbo αἰροῦνται colligere voluerimus illo loco scriptorem de singulari atque extraordinario imperio dicere, ut vocem στρατηγός adhibere ei non licuerit, tamen haudquaquam ei licebat ducem Atheniensium ναύαρχον appellare, cum munus ναύαρχον a re publica Atheniensium alienissimum esset. Quot rationes ducem aliter appellandi scriptori fuerint, supra vidimus. Hoc loco apparet eum voces Lacedaemoniorum etiam de civibus suis, quorum in usu illas non esse scire debebat, usurpare non dubitavisse. Nimirum L. Breitenbachius in adnotatione ad I 6, 29 facta, cum operam daret, ut vocem ναύαρχων illius loci interpretaretur, addidit: „Parvarum classium praefectos ναύαρχους appellatos ex V 1, 5 discimus.“ Quasi vero interesset, utrum classes magnae an parvae essent! Ceterum ad locum I 6, 29 explicandum interpretatio loci V 1, 5 ea de causa nihil conferre potest, quod priore loco non de parva classe, quae per se constet, agitur, sed de paucis quibusdam navibus, quae particulam universae classis efficiebant. Tum id quoque explicandum est, quomodo fiat, ut illo loco (I 6, 29) complures ναύαρχοι nominati sint. Immo apertum est illo loco Breitenbachium ea verba, quae attuli, eo tantum consilio addidisse, ut aliquid saltem proferret, quo rei prodesset; nam nullo modo ex uno illo loco efficere nobis licet apud Athenienses praefectos „parvarum“ classium ναύαρχους appellatos esse. Si modo ea, quae supra demonstravi, recte se habent, nos locum V 1, 5 recte explicamus eo, quod dicimus Xenophontem consuetudine cum Lacedae-

moniis longissimum per tempus contracta commotum esse, ut vocem *ναύαρχος* de duce Atheniensium adhiberet.

Iam dicendum est de voce *ἀρμωστής*, quae Dorica est. In A nihil est, quod offensionem praebeat: omnes *ἀρμωσται*, de quibus scriptor dicit, homines Lacedaemonii sunt. Contra in B locus exstat, quo scriptor illum usum neglegat. Nam IV 8, 8 legimus *αὐτὸς* (sc. *Κόνων*) *δ' ἐπισπενάσας τὸ τῶν Κυθηρίων τεῖχος ἡρουρούς τε καὶ Νικόφημον Ἀθηναῖον ἀρμωστὴν ἐν τοῖς Κυθήροις κατέλιπε*. Quae supra ad vocem *ναύαρχος* disputavimus, non est dubium, quin etiam in vocem *ἀρμωστής* cadant. Sed contra dixerit quispiam Cythera insulam Laconicam esse, et vocem *ἀρμωστής* illo loco ea re excusari et explicari, quod putemus virum Atheniensem in oppido Laconico relictum idcirco voce *ἀρμωστής* appellatum esse, quod illa incolae assueti fuissent. Esto; sed facile illum locum in medio relinquere possum, cum alii satis multi mihi succurrant. Nimirum in B ille solus locus est, quo *ἀρμωστής* ad aliam gentem ac Lacedaemonios referatur, sed ex tertia parte Historiae Graecae hos affero. VII 1, 43: *ἔδοξε Θηβαίοις πέμψαι ἀρμωστὰς εἰς τὰς Ἀχαΐδας πόλεις*. VII 3, 4: *Θηβαῖον δὲ ἀρμωστοῦ τὴν ἀκρόπολιν ἔχοντος*. VII 3, 9: *ἐναντία μὲν ἔθετο τὰ ὄπλα τῇ παρ' ὑμῶν* (sc. *Θηβαίων*) *ἀρμωστῇ*. Postremo ex Cyri Expeditione V 5, 19: *ῥτιῶντο δὲ τὸν παρ' ὑμῶν* (scil. *Σινωπέων*) *ἀρμωστὴν τούτων αἵτιον εἶναι*. His locis id, quod diximus, manifestius demonstratur, quam ut unum verbum addi opus sit.

Sed unus locus in parte B exstat, qui alia quidem ratione gravissimus esse videtur. Nam IV 8, 39 legimus pro forma usitata *ἀρμωστῶν* formam *ἀρμωστήρων*. Quod attinet verbi exitum *-τήρ*, *-τήρος*, pro nominibus actoris in *-τήρ*, *-τήρος* exeuntibus imprimis in sermone Ionico et Attico nomina in *-τής*, *-τοῦ* exeuntia substituta sunt, quae per se a notione agendi abhorrent. Contra sermo Doricus verborum exitum *-τήρ*, *-τήρος* multo fidelius servavit, quod comprobatur vocibus Doricis quales

sunt *πεντηκοντήρ, δικαστήρ, ἀποδεκτήρ, δοτήρ* (cf. p. 72). Quaecumque ita sint, omnino fieri non potest, quin Xenophon eum locum, quo *ἀρμοστήρων* scriptum esse videmus, auctoritatem sermonis Dorici respiciens scripserit. (cf. p. 29) Cum in parte A nihil eiusmodi appareat, etiam in illa re argumentum positum esse existimo, quo partes A et B et loco et tempore, quo sunt scriptae, diversas esse ostenditur.

ταξίαρχος. Hanc vocem sollemnem Atheniensium esse constat, cui rei optime convenit A; nam omnibus locis, quibus scriptor de *ταξίαρχοις* loquitur, hi Athenienses sunt. Non parum usum pars B sequitur; nam tribus locis vocem *ταξίαρχος* ad Lacedaemonios relatum invenimus. Qua re nonne argumentum suppeditatur, quod omnibus superioribus contrarium sit? Nonne putare debemus Xenophontem, cum in parte B vocem Atticam ad Lacedaemonios transferret, apud Athenienses versatum esse eorumque voces etiam de Lacedaemoniis usurpavisse? Sed accuratius eos locos inspiciamus! Legimus III 1, 28: *ἐξιὼν δὲ (sc. Λερκνλίδας), οὗς ἤφεν ἐπὶ ταῖς θύραις τῶν ταξίαρχων καὶ λοχαγῶν, εἶπεν αὐτοῖς· Μισθὸς μὲν ἡμῖν, ὧς ἄνδρες, εἴργασται . . . ὀκτακισχλίοις ἀνδράσιν*. tum III 2, 16: *ὡς δὲ ταῦτα ἤσθετο ὁ Λερκνλίδας, τοῖς μὲν ταξίαρχοις καὶ τοῖς λοχαγοῖς εἶπε παρατάττεσθαι*. denique IV 1, 26: *ἐπεὶ δὲ τὰ ληφθέντα χρήματα ἀπήγαγον οἱ τε Παφλαγόνες καὶ ὁ Σπιθριδάτης, ὑποστήσας Ἡριππίδας ταξίαρχος καὶ λοχαγὸς ἀφείλετο ἅπαντα*. His locis accurate ac diligenter examinatis minime nos effugiet, quomodo vox *ταξίαρχος* illis locis intellegenda sit. Copiae, de quibus tribus illis locis dicitur, non milites gravis armaturae Lacedaemoniorum, sed mercennarii sunt, Cyrei qui vocantur, quos Xenophon Cyro occiso post pugnam apud Cunaxa commissam ex Asia anno a. Chr. n. 401 una cum aliis reduxerat. Nam ubi primum Pergamum pervenerunt, Xenophon Thibroni Lacedaemonio exercitum tradidit (Xen. Exped. VII 8, 24), qui cum ephoris officio male fungi videretur, Dercylidae cessit (Hist. Gr. III 1, 7 sq.). Copiae igitur, quas Dercylidas habebat, maxima ex parte

milites mercede conducti erant, quod ex illis quoque verbis intellegitur, quae supra citavi: *Μισθὸς μὲν ἡμῖν, ὃ ἄνδρες, εἵργασται*. Illis autem temporibus in exercitibus mercennariorum centuriones i. e. duces inferioris ordinis *λοχαγοί* appellabantur, neque est, quod miremur iuxta eos *λοχαγούς* illos *ταξιάρχους* (qui ex Cyreorum agmine deprompti erant) positos esse.

Hic contra dixerit quispiam in Cyri Expeditione neque *ταξιάρχους* umquam neque omnino illum ordinem commemorari, qui inter *στρατηγούς* et *λοχαγούς* intercedat. Quae res sic explicatur: dum Cyrei Pergamum redibant, quodvis militum corpus, quamvis esset parvum, utique per se stabat et suum quodque ducem habebat, qui alio nisi *στρατηγός* nomine appellari non poterat. Quam rem sublatam esse nobis existimandum est, postquam Cyrei reduces ad Lacedaemonios transierunt et apud illos stipendia mereri coeperunt. Ex illo tempore iis unus erat imperator, quem Xenophon Hist. Gr. III 2, 7 nominat: *ὁ τῶν Κυρῶν προεστηκώς*, et duces singularum catervarum non iam *στρατηγοί*, sed *ταξίαρχοι* appellabantur. Qua re demonstrata vox *ταξίαρχοι* in parte B ter posita rationi nostrae non iam obstat.

Idem fere de vocibus *λόχος* et *λοχαγοί* dicendum est, quae Doricos ordines significant. Nam in parte A vox *λόχος* ad Athenienses relata invenitur I 2, 3: *οἱ δὲ πελτασταὶ καὶ τῶν ὀπλιτῶν* (sc. *Ἀθηναίων*) *δύο λόχοι βοηθήσαντες . . . ἀπέκτειναν ἅπαντας . . .*, ut illo loco vox, qua ordo Doricus appellatur, ad res Atticas relata esse videatur, quod rationi nostrae inimicissimum esset. Sed aliter id se habet, nam ex loco I 2, 3 nihil aliud colligendum est nisi ea militum gravis armaturae corpora, quae ex singulis tribubus (*φυλαῖς*) efficiebantur, scilicet *τὰς τάξεις*, in particulas, quae *λόχοι* vocabantur, divisa esse. Nam cum nusquam exponatur, in cuius generis ac nominis partes minores αἱ *τάξεις* divisae sint, neque fieri possit, ut infra mille vel

duo milia militum minus corpus non fuisse existimemus, nihil obstat, quin persuasum habeamus etiam Athenis λόχους et λοχαγούς fuisse. Ceterum etiam alii scriptores Graecorum vocem λόχος de aliis populis praeter Lacedaemonios adhibuerunt. Cuius rei exempla — si omnino iis opus sit — affero haec. Thucyd. IV 43,1: Βάντος (homo Corinthius) . . λαβὼν λόχον ἦλθε, in eodem capite § 4: λόχος δέ τις τῶν Κορινθίων ἐπιβοηθήσας ἔτρεψε. IV 91 Παγώνδας . . βουλευαρχῶν ἐκ Θηβῶν . . προσκαλὼν ἐκαστοὺς κατὰ λόχους. V 72,4: (οἱ Λακεδαιμόνιοι) προσπεσόντες τῶν Ἀργείων τοῖς πρεσβυτέροις καὶ πεντελόχοις ὠνομασμένοις . . ἔτρεψαν. Ergo ne vox λόχος quidem in parte A reperta rationi nostrae resistit.

Iam una restat vox, de qua pauca mihi addenda sunt. In parte B, loco IV 2, 5 legimus: προεῖπε (sc. Ἀγησίλαος) δὲ καὶ τοῖς ἱππάρχοις, ὅστις εὐπλοτάτην καὶ εὐοπλοτάτην τάξιν παρέχοιτο, ὥς καὶ τοῖς νικητήριον δώσω. Hoc loco offensionem sit cuiuspiam, quod vox ἱππαρχος, quae Atheniensium propria est, de Lacedaemoniis dicta est. Sed id facile redargui potest, nam eodem modo, quo voces λόχος et ναύαρχος (haec scilicet exclusis Atheniensibus!) etiam vox ἱππαρχος, quae nihil aliud est nisi ἄρχων τῶν ἱππέων seu τῆς ἵππου, de ducibus omnium populorum adhiberi potest, cf. Thucyd. IV 72, 4: τὸν μὲν γὰρ ἱππαρχὸν τῶν Βοιωτῶν . . οἱ Ἀθηναῖοι ἀποκτείναντες ἐσκίλευσαν.

De tabulae ultimis verbis, quae non attuli nisi ob eam causam, ne quid illius generis ommitterem, vix opus est me verba facere; nam et vocem τριήραρχοι apud omnes gentes usurpari, et voces ἱππαρμοστάς, πολέμαρχοι, πεντηκοντῆρες, ξεναγοί solis de Lacedaemoniis dici notum est.

Iam ut complectar quae assecutus esse mihi videar, ex tabulis, quas composui, in Xenophontis genere dicendi

www.libtool.com.cn